AUGUSTI CATALDI

SACRI CONSISTORII ADVOCATI

DISSERTATIO

AD LEGEM SECUNDAM CODICIS

DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE

Lib. XI. Tit. X.



ROMÆ

E TYPOGRAPHIA MUGNOZ

1869

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

AUGUSTUS CATALDI

De quocumque reipublicae sive ecclesiasticae sive profanae negocio dicturis nullum existimo praesto esse nomen cui opportunius et iustius propriam ipsi orationem inscribant quam Tuum, Beatissime Pater, cum omnium, quae bonum contingunt publicum, fueris promotor, auctor et auspex amplissimus. Sacrosancta siquidem Catholica et Apostolica Ecclesia, praeter reliqua innumera, ea duo potissimum Tibi refert, nempe et Deiparam Virginem ab originali labe immaculatam adsertam et S. Oecumenicam Synodum indictam ex qua dumtaxat universus terrarum orbis pacem ac perturbati socialis ordinis restitutionem vehementer expectat. Te insuper auspice apud Angliam Catholica hierarchia, quae tercentum ab hinc annis desiderabatur, restituta: nobilis et catholica Hi-

bernia servile iugum eterodoxae Ecclesiae deiecit. Litteraria et christiana respublica Tibi refert accepta plura quæ noviter instituta sunt gymnasia, vetera autem aucta melioremque in formam ordinata et iis quae desiderabantur disciplinis locupletata. Quantum vero bonis artibus et relligionis decori studueris testantur vaticanae aedes ad novum splendorem instructae, publica musea munifice aucta, pinacothecae ordinatae, templa, fora, viae simulacris omnigenisque ornamentis, Tuo saepe saepius aere, ditata. Publicum commercium Te maxime de se meritum praedicat ob providos cum exteris gentibus tractatus, vias ferreas stratas, electricas lineas invectas, pontes extructos, quos inter Aricinum nobilissimum, portus auctos novisque operibus pro navigantium utilitate instru-

ctos. Res agraria Tuo in aevum manebit devincta beneficio ob profligatas servitutes quae culturae impedimento tamdiu fuerant, ob cathedram in Athenaeo ea de re institutam, ob consultissimas leges latas et opera extructa. Inexhaustam Tuam beneficentiam pauperes quotidie experiuntur per nova hospitia, nosocomia, tiphlocomium novissime ordinatum , scholas nocturnas aliaque innumera pia instituta. Gratiam Tibi habent civitates omnes pro municipalium iurium restitutione, plurimae quod saluberrimis aquis, naturae impedimentis superatis, fuerint ditatae: Urbs autem haec nostra amplissima quod aquam Marciam, Tuo nomine Piam iure merito nuncupandam, recuperavit; quodque plura antiquitatis monumenta e latebris, quibus iacebant, in lucem restituta , et romanum emporium in maximum decus

novissime fuerit effossum. Coetera praeteream, quippe singula quae in christianam rempublicam populumque Tuo regimini subiectum beneficia contulisti, facilius mente concipi valent quam recenseri ac verbis praedicari. Cum vero animadvertimus tot tantaque molitum Te fuisse hac furente politica commotione in qua miserrime versamur, quin ullum novum onus seu tributum fuerit populo impositum, minus recte dictum censeo non Te temporibus, sed Tibi tempora defuisse. Potius dicendum, Supremo adstante Numine, longe iisdem Te superiorem praebuisse.

Specimen habemus amplissimum ex iis quae rem nummariam contingunt. Nemo ignorat quam gravis nedum apud nostrates, sed etiam penes alias Europae regiones fuerit ea de re perturbatio, adeo ut fi-

nitimae ditiones in id fuerint adductae, ut *repraesentativum*, ceu aiunt, seu papyraceum auro argenteoque numismati suffecerint, ex quo facile percipi valet quot quantaque redeant mala in commercium et publicam annonam. Iamvero quod tristi ea tempestate huiusmodi malum e Tua ditione abfuerit; ac potius fiduciaria moneta, recto populi sensu accedente, suam aestimationem servaverit, id Tibi Tuoque forti animo sagacique consilio tribuendum, qui nedum obligatorio papyraceae monetae usui vehementer obstitisti, sed etiam novos aureos, argenteos aeneosque nummos, iuxta metricum systema, iis aequales quibus finitimae regiones utuntur (quod erat maxime optandum) constituisti.

Quapropter cum mihi commissum fuerit munus dicendi de re nummaria ad interpretationem textus

in *Leg.* 2. *Cod. de veteris numismatis potestate*, ut expleam tirocinium praestitutum novis advocatis S. Concistorii, quorum in amplissimum collegium me licet immeritum Tua benevolentia cooptavit, nil mihi felicius unaque simul iucundius contigisse arbitratus sum, quam quod Tuo Maximo et Sanctissimo Nomini tantopere ea de re merito opellam meam possem inscribere.

Excipe igitur, Beatissime Pater, benevolo et indulgenti animo, quaecumque ea sit, disputationem meam, qua levissimum grati animi pignus; et in quo eadem deficit, suppleat Maximum Nomen cui inscribitur atque Apostolica benedictio quam humillime pronus votaque fervida attollens pro diuturna Tui salute, quae salus publica est, etiam atque etiam imploro.

DISSERTATIO

Ad Legem 2. Codicis

DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE

LIB. XI. TIT. X.



Simul ac intellexi unum alterumque ex antecessoribus in amplissimo Advocatorum S. Consistorii collegio (1) verba iam fecisse de interpretatione textus qui mihi pro argumento dissertationis exarandae dictus erat, in eo fui ut grave onus declinarem. Ea enim repetere quae ipsi eleganter, erudite et sapienter loquuti sunt, inanissimum futurum opus considerabam: difficillimum vero ac mihi conscio quid valeant humeri impossibile melius dicere quam ipsi disseruerant. Sed me recreavit benevola hortatio sapientum virorum, quos collegas nuncupare neque adhuc possum neque unquam merebor, qui animos addiderunt ne a proposito descisceren tum quia in re monetaria, quam spectat textus superius citatus, prae sua ubertate, nemo unquam sibi arrogavit tot tantaque dixisse ut nihil dicendum superesset, tum quia maxima iuris et publicae oeconomiae pars, quae monetarium systema contingit, plures passa est vices postea quam eruditi illi viri fuerant loquuti, in quas animadver-

(1) Alphunsi De Aventis S. Consistorii Adv. Dissertatio de proportione monetarum. Romae apud Fulgonium 1795.

Bonaventurae Orfei S. Consist. Adv. de veteris numismatis potestate eiusque incremento et decremento. Romae apud Oliverium 1837.

tere et ex iis nova elicere corollaria ociosum non rediisset. Hisce hortationibus excitatus grave meisque humeris vere impar onus suscepi, et ex eo, qua potero diligentia, me expediam.

2 Quia vero dissertatio cohibita sit oportet ad interpretationem et ornatum textus in *leg.* 2 *Cod. de veteris numismatis potestate* cujus haec sunt verba = *pro imminutione, quæ in aestimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* = et spectare debeat ius civile constitutum cum publica oeconomia comparatum, potius quam literarias seu philologicas, archeologicas aliasque eiuscemodi investigationes; praeteream quæ inquiri solent de etymologia verborum *moneta*, *nummus*, *nomisma* seu *numisma*, quorum primum nonnulli e Iunone *moneta*, cuius in templo ferunt percussos cuiusve imaginem primos nummos retulisse ; alii e vocula *monere* petunt , cum e publico signo intelligamus quanti eadem valeat; reliqua autem vocabula e graeco νομος derivasse tradunt , utpote quia lege consistat et ex ea pretii demonstrationem eliciat. Praeteream quoque hystoricas disquisitiones de primo monetae auctore, cum in varias opiniones scindantur eruditi, nec non physicas de arcana genesi metallorum quibus moneta constat. Omnia haec nil ad ius, nil ad publicam oeconomiam pertinent minusque ad *Leg.* 2 *Cod. de veteris numismatis potestate.* Dicam potius de monetae origine eiusque causa efficienti, quippe huiusmodi disquisitio pertinet ad illius indolem detegendam, ac pro disputationis complemento memoria recolam rem omnibus notam, scilicet initio commercium inter homines ita obtinuisse ut unusquisque quod redundans esset ad vitae necessitates cum eo, quod sibi deficeret necessariumque foret, permutaret. Prima igitur commercii causa constat rerum procreatarum varietate et inaequalitate, prima autem ratio easdem aequa lance distribuendi constitit permutatione (1). Hinc invecta emporia quibus unusquisque in conspectu poneret quod sibi redundans esset, atque invicem permutaret (2). Huiusmodi fuisse apud primaevas

(1) Leg. 1. ff. de contrah. empt.
(2) Davanzati Lezione sulla moneta anno 1588.

gentes, modo ad civilem cultum deductas, commercii ineundi rationem intelligimus ex eo quod obtinet hodierno die apud populos incultam adhuc et horridam vitam agentes; ipsos siquidem non aliter quam permutatione redundantium rerum cum deficientibus etiam nunc propriis consulere necessitatibus compertum habemus (1). Permutationes autem huiusmodi uno oculorum iudicio fieri solebant: scilicet solo intuitu aestimabant homines num quod dabatur id aequaret quod invicem acciperetur: et reapse hoc pacto apud Aethiopes in praesens etiam fieri auri commercium narrant peregrinatores (2). Mox facile erupit necessitas praefiniendi rerum permutandarum quantitatem et aestimationem certius quam posset saepe fallax oculorum acies. Hinc modus seu mensura sive longitudinis, sive quantitatis; inde pondus seu aequipondium.

3 Haec autem omnia consulebant demonstrationi rerum quae permutandae offerebantur; haud vero satis erant ad praefiniendum earum pretium. Formulam igitur excogitare oportuit quae illud demonstraret, atque haec invecta per electionem certae rei quacum omnes iuxta eius sive numerum sive pondus sive mensuram comparari possent, quae scilicet repraesentaret unitatem pretii toties multiplicandam quoties opus foret ad demonstrandam rei permutandae aestimationem, quae uno verbo praeberet typum mercis ad quem reliquae essent accomodandae. Recte ideo existimant oeconomiae publicae scriptores ideam unitatis pretii *in abstracto* antecessisse concretam monetae institutionem (3), ac ferunt priori in stadio adhuc versari nonnullas Africae tribus quae res omnes aestimant iuxta unitatem pretii dictam *macuta*, ut scilicet constituant rem valere ex. gr. decem *macute* prae altera quae aestimatur *viginti*, quamvis eo nomine *macuta* nulla res natura existens in concreto demonstretur.

4 Facilis autem ex invecta unitate aestimationis digressus ad electionem mercis quae nedum demonstrando aliarum omnium pretio inserviret, sed etiam talis foret qua oblata reliquae species

(1) Goguet origine delle arti e delle scienze Venezia 1834 t. 4. pag. 8.
(2) Huet histoire du commerce pag. 60.
(3) Boccardo Dizionario di economia politica *verbo* moneta.

possent comparari; incommoda siquidem et saepe difficilis redibat mercis redundantis cum deficienti permutatio: = *non semper et facile concurrebat ut cum tu haberes quod ego desiderarem invicem haberem quod accipere velles* = tradit eleganter Paulus loco mox recitando. Diu adlaborarunt populi primaevi antequam huiusmodi mercem invenirent quae pro typo aestimationis et pro aequipollenti pretio quoad reliquas adhiberetur. Modo pecudes, modo conchylia, modo ligna aliave eiuscemodi selegerunt (1) usque dum pervenere ad metalla quae soliditate praestantia, corruptioni minus obnoxia, maximam divisioni aptitudinem offerentia, minus quam reliquae res mutabilia, duplex monetae officium implere deprehenderunt: duplex, inquam, in eo constitutum officium, ut et metiendae rerum aestimationi inserviat et materiam cuilibet permutationi ac transactioni idoneam praebeat; uno verbo demonstret rei pretium et eidem aequipolleat (2).

5 Usque ab initio modus huiusmodi et aestimationis comparatio obtinuit per eius libramen seu ponderationem: certa metalli quantitas appendebatur atque eius pondus aequiparabatur ponderi, modo, numero vel corpori mercis cum eo permutandae. Inde voculae et formulae quae apud romanos obtinuerunt ad demonstrandam monetam eiusque officium, *libra*, *librales*, *sextantarii*, *unciales*, *semiunciales asses*, *libella*, *dupondius*; rursus *expensa*, *impendia*, *stipendia*, scilicet *stipis pondera*; hinc *dispensatores*, *libripendes*, ac emptiones venditiones *per aes et libram* (3). Quod de caetero penes alias gentes pariter obtinuisse testantur ipsa nomina quibus unitas monetarum indicabatur. *Siclum* enim apud hebraeos, *dracma*, *talentum* aliaque plura apud graecos, dum pertinent ad certum pondus indicandum, demonstrant pariter unitates monetarias quarum multiplae et submultiplae quantitates constantem unitati e pondere depromptae proportionem ser-

(1) Goguet loc. cit.

(2) Arist. politic. lib. 1. Cap. 6.
Leg. 1. ff. de contrahenda emptione.
Chevalier della moneta Sez. 1. Cap. 1.
Boccardo loco citato.

(3) Gaius Institut. I. 122.
Plinius hist. nat. XXXIII. 13.

vabant (1). Aucto autem commercio incommodum patuit incidendi et appendendi metalla qualibet in permutatione, ut quantitatis aequalitate rei permutandae aestimationi convenirent. Oportuit igitur metallorum frustula ad certum pondus iam secta in promptu esse atque inde monetariae officinae institutae: oportuit eadem praeseferre signum ponderis et aestimationis qua praestabant, atque adeo praeseferre ut fides omnimoda notæ iisdem impressae accederet. Ex hoc factum est ut tota ea res illi concredita fuerit qui summam reipublicae moderabatur, supremo scilicet imperanti cuius fides et auctoritas incommodas privatorum investigationes suppleret, indeque signum monetis lege impressum ex quo vocabulum *nummus* et *nomisma* derivasse ferunt.

6 Huiusmodi monetae genesim causamque efficientem sapide tradit Aristoteles (2) per ea verba = *Cum a remotioribus quaereretur auxilium, importando illa quibus indigebant, et exportando illa quibus abundabant, necessario nummi introductus est usus. Non enim faciliter deferri possunt singula ad vitam necessaria. Quare ad permutationes faciendas tale aliquid composuerunt inter se dare et accipere quod utilium quidpiam existens, haberet usum commutandi facilem ad vitam: ceu ferrum et argentum, et si quid aliud tale: primo simpliciter definitum quantitate et pondere, postmodum vero etiam signo impressum quo a mensura liberi essent. Nam signum positum est ad quantitatem demonstrandam* = et Aristotelem sequitur Paulus lib. 33. ad Edictum (3) cuius fragmentum, utut omnibus notum, prae sapientia tamen qua praestat, haud erit ociosum recitare. *Origo* (inquit) *emendi vendendique a permutationibus coepit; olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut quum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles, electa mate-*

(1) Chevalier della moneta Sez. 1 Cap. 3.
(2) Politic. lib. 1. Cap. 6.
(3) Leg. 1. ff. de contrah. empt. Lib. 18. Tit. 1.

ria est, cuius publica et perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret; eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque sed alterum pretium vocatur =. Huiusmodi fragmenta certo sunt argumento, theoremata de re monetaria, quae novissimi oeconomiae publicae cultores tradiderunt, ex antiqua romana et graeca sapientia prodiisse. Certe etiam, antequam ea de re scriberent angli *Smith*, *Sterlingh*, *Newmark*, et galli *Chevalier*, *Coquelin*, *Dureaux De la malle* aliique, sapientissime et ad germanam monetae indolem officiumque praecepta tradiderant ab hinc tercentum, biscentum, centum annis *Davanzati* et *Neri* florentini, *Galiani* neapolitanus, *Belloni* romanus aliique plures (1), nec non iuris romani interpretes quos inter Vinnius (2).

7 Ex his autem omnibus colligitur oportere monetam (antequam habeatur qua signum auctoritate publica impressum ad demonstrandam eiusdem potestatem) praestare qualitate mercis rei cum ipsa permutandae aestimatione aequipollentis; ea siquidem habetur qua merx *media* seu =*mezzana*= (ceu tradit *Davanzati loc. cit.*) quacum reliquae omnes permutantur. Ut vero merx ista *media* pecuniae officium praestet, praeter id quod innuimus, ut scilicet vera polleat propriaque aestimatione (apud italos *valore intrinseco*) eruenda ex iis duobus perpetuis pretii notis, nempe ex utilitate et sumptibus productionis; oportet deinde ut prae exigua mole maximam aestimationem habeat, atque ita facile transvehi possit; *tertio* quod sit perquam solida ne tempore et usu, vel saltem minus quam fieri valeat, corrumpatur; *quarto* maxime sit dividua ut aequipolleat tam praegrandi quam minimae permutandarum rerum aestimationi, *quinto* natura congeneris seu ομογεννης, scilicet ut eius substantia simplex sit iisdemque elementis constet apud omnes regiones; *sexto* demum quod illius aestimatio vicibus commercii, temporum, locorumque minus quam fieri possit sit obnoxia

(1) Vide *Raccolta degli economisti italiani* opera *Baronis Custodi*.
(2) Comm. ad Instit. Tit. Quibus modis re contrahitur obligatio n. 12.

ne crebro eadem immutetur (1). Atque ideo adamussim electa metalla, et inter ea *aes*, *argentum* et *aurum* quae monetae vice fungerentur, quia nimirum recensitis nuper virtutibus potissimum praestant.

8 Reapse Graeci usi sunt huiusmodi metallis quibus monetam ferirent. Atheniensibus unitas monetaria erat *drachma*, numisma argenteum cuius aestimatio paullo inferior hodierna libella , dividebatur in sex *obulos* pariter argenteos ; obulus in octo *calcos aeneos* qui pariter dispertiebantur quisque in septem *leptes* aeneos. Drachmam autem multiplicatam referebant *tetradrachma* et *mina*, quarum prior quatuor, altera centum drachmis constabat; nec non talentum qui sexaginta minis conficiebatur. Veruntamen haud cusae aderant monetae quae minae ac talenti aestimationem praeseferrent; sed voces istae calculationis tantummodo formulam perhibebant (2). Serius cusa est moneta aurea quam pari puritate ac argentea minime praestare testis est Aristophanes qui eam improbavit (3). Nihilominus omnes historici testantur, Athenienses sive integritate monetae et vigilantia in falsarios quos morte plectere consueverunt (4), sive monetarii systematis simplicitate, coeteras graecas respublicas aeque ac in reliquis longe superasse. Reapse Spartam ita moderatus est Lycurgus ut ferrea tantum eaque gravi uteretur; quod constituisse fertur vel ut populum a nummorum cupiditate averteret , vel ut commercium cum alienigenis impediret. Quam falsa autem ipse uteretur oeconomia noverunt successores in regenda republica, praecipue Lysander qui auream et argenteam monetam invexit (5). Sed haec ad historiam et eruditionem, haud quidem ad iuris et oeconomiae publicae theoremata. Hinc satis eadem summis labiis delibasse.

(1) Boccardo loco cit. § 1.
(2) Barthelemy viaggio di Anacarsi
Boeck economia politica degli Ateniesi lib. 1. cap. 4.
(3) Aristoph. Ran. 731.
(4) Demosthenes in Timoc. p. 765. ad fin.
(5) Plutarch in Lysandr. 17.

9 Romani, antequam moneta proprie dicta, *pecunia signata*, foret invecta, *aere rudi* utebantur (1). Primus, qui monetam ferierit, videtur fuisse Numa Pompilius (2). Quia vero aenea tantum fuit antiquior Romanorum moneta, hoc vocabulum *aes* usurpatum animadvertimus quoties de re pecuniaria agitur. Hinc illud = *aureos nummos, aes dicimus* = (3), et = *aere mutare* = pro vendere usurpatum. Ex eadem origine dicimus *aerarium publicum, aes alienum, annua aera* (4) *aes militare*, *homo aeratus* (5); illudque Ciceronis (6) = *Tribuni non tam aerati, idest bene nummati quam ut appellantur aerarii, idest aere corrupti* = ac etiam *aeruscator* dicitur qui per fas et nefas pecuniam lucrifacere studet (7).

10 Ea autem antiquior aenea Romanorum moneta nuncupatur = *As* = cuius pondus libram aequabat ideoque dictus *as libralis* quique dividebatur in *semisses*, *trientes*, *quadrantes* seu *teruncios*, *sextantes* (8). At vero prioris belli Punici occasione, ut impensis respublica par esset, asses qui duabus constarent unciis cudi coeperunt = *constitutum est ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factae lucri dissolutumque aes alienum* = teste Plinio qui prosequitur (loc. cit.) = *postea, Hannibale urgente, asses unciales facti* = qui nempe constarent unica uncia, modo ad semiunciam cohibiti lege *Papiriana* ideoque *asses semiunciales.*

11 Moneta autem argentea cudi coepit, si credas Plinio (loc. cit.) anno ab. u. c. 485.; at illustriores monetographi id tribuunt sexto Romae regi Servio Tullio, teste Varrone = *nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio, is quatuor scrupolis maior fuit quam nunc est* = (9) nec non Svetonio qui

(1) Plin. histor. nat. lib. 33. n. 14.

(2) P. Marchi S. I. in suo opere: Aes grave. Doctissimo archeologo omnes fere eruditi hac in re hodie assentiuntur.

(3) Ulp. L. 159. ff. de verb. signif.

(4) Livius Histor. V. 4.

(5) Plautus IV. 2. 9.

(6) Att. I. 16.

(7) Gell. IX. 2.

(8) Plin. hist. loc. cit.

(9) Carist. Instit. gramm. I. p. 81.

refert Augustum dirhibuisse *nummos omnis notae etiam veteres regios et peregrinos* (1). Immo Pomponius Laetus demonstravit opificium monetarium Romae extitisse iamdiu ante annum 485 (2).

12 Quidquid autem sit de chronologicis hujusmodi quæstionibus, certum est Romanos cito usos fuisse moneta argentea, cuius unitas nuncupabatur *denarius*. Is constabat quadragesima librae argenti parte et aequipollebat, ceu vox ipsa sonat, decem assibus: dividebatur autem in geminos *quinarios*, quinarius in totidem *sextertios*. Verum ineunte saeculo VI. ab u. c. denarii pondus ita imminutum est ut septuaginta quinque pro qualibet libra cuderentur, brevi ad octoginta quatuor in singulas libras cohibitum; aequipolluit autem iugiter assibus decem usque ad annum 665 quo comparatus est sexdecim semiuncialibus. Praeterea *libellas* et *sembellas* denarii fractiones de quibus in Varrone de *lingua latina* IV. 36. cum incerta omnino sit earum aestimatio.

13 Serius invecta est moneta aurea nempe an. ab u. c. 546. Coss. C. Clodio Varone et M. Livio Salinatore ; eaque dicta *aureus*. Pondus duobus denariis argenteis , aestimatio vigintiquinque par erat; itaque libra auri quadraginta aureis constabat : mox sensim imminutum pondus adeo ut, imperante Augusto, quadragintaquinque aurei in singulas libras ferirentur (3). Aureos sequuti sunt *solidi* pariter ex auro, pondere minores , qui primum *septuaginta* erant in singulas auri libras , mox sub Costantino octoginta quatuor (4) : denique sub Valentiniano seniore anno u. c. 367. aucta seu potius restituta aestimatio solidi , siquidem statutum septuaginta duos aequipollere auri librae (5). Cujusmodi aestimationis auctarium impositium fuit seu , ut ajunt , *extrinsecum* potius quam verum propriumque , seu *intrinsecum*, quippe eadem perstitere solidorum pondus, modus et figura. Factum vero ideo nonnulli ferunt quia mercatoria au-

(1) In August. c. 75.
(2) De magistr. Rom. p. 138.
(3) Tacit. histor. 1. 24.
(4) Cod. Theodos. Leg. 1. de ponderatoribus et auri illatione.
(5) Leg. 3. Cod. de susceptor. praepos. et arcar.

ri aestimatio aucta fuisset. Haec ad rem, de qua agendum, monuisse satis existimo quod attinet Romanorum monetas. Disquisitionem de proportione inter aurum et argentum apud eosdem et de antiquarum cum hodiernis monetis comparatione doctis remittimus (1).

14 Cum vero eiusmodi immutationes in aestimatione nummorum, quae apud Romanos obtinuerunt, consideramus atque animadvertimus quam rarae levesque eaedem fuerint, inspecto undecim saeculorum aevo, quo labente contigerunt, deducamus oportet iisdem maxime probatam fuisse *Aristotelis* doctrinam qua vidimus traditum, eam esse propriam monetae indolem, ut signum auctoritate publica illi impositum veram domonstret non fictitiam materiae aestimationem. Hinc leves immutationes quae tam longo temporis intervallo in pretio aureae et argenteae mo-

(1) Diu multumque eruditi adlaborarunt (et laborant adhuc) ut veterum monetas cum iis quae in usu sunt comparent. Et quoniam primum huiusmodi studiorum fundamentum in eo constituendum esse viderunt, ut res aliqua seligeretur cuius constans et perpetua aestimatio per varias temporum vices censeri posset; alii caracterem istum in frumento, alii in quotidiana operariórum infimae peritiae mercede; alii demum in militum stipendiis deprehendi posse censuerunt. Verum facile patet quam incerte et, melius dicam, quam infirme rerum huiusmodi aestimationem perpetuam et constantem fuisse contendi possit. Hinc *Coquelin* (in suo opere *sulla valutazione delle somme storiche* Cap. 1.) novam in eamdem investigationem methodum professus, constituit studiose inquirendum fore pretium antiquitus tributum rebus iis omnibus quae in usu quotidiano magis fuerint et quarum minus variabilis aestimatio censeatur: tunc certo constituendam esse propriam et realem monetarum, quae iis rebus comparandis requirebantur, aestimationem. Quae duo cum comparationem praebere possint inter varias merces ac pretiosa metalla; facile, ut ipse ait, et per gradus comparationem quoque inter antiquas recentesque monetas indicabunt. Quidquid sit de investigationibus eiusmodi deque plus minusve rectis ita peractis comparationis tabulis, non inopportunum censemus exempla quaedam hic innuere, quae studii illius a doctissimo Adam suscepti fructus extitere *(Antichità Romane Cap. dei pesi e delle monete)*. Aureum Romanorum libellis 19. 75. aequare constituens, ait ipse Crassum, cuius divitias nemo praedicari non audiit, praedia possedisse quae 38,750,000. libellas hodie aestimarentur. Lentulus, versutus ille divinator duplo fere maiores divitias sibi comparaverat. Amicorum testamenta *quatuor decies millies* Augusto legaverant, quod auri argentique pondus plus minus 775,000,000. lib. aequaret. Quid ultra? Ne Apicium commemorem qui, ut ait Seneca, *in culinam consumpsit sestertium millies*, scilicet 19,000,000. lib. Tullius ipse, qui tot tantisque laudibus moderationem suam prosequitur, fatetur se pro mensa quadam tantum impendisse quantum 19,375 lib. hodie responderet. Et haec satis sint ad specimen quoddam exhibendum de iis studiis quae *valutazione delle somme storiche* nuncupari solent.

netae constitutae sunt, tribuendae vel auctae atque alternis vicibus deminutae quantitati materiae ejusque pretio, vel nondum satis perspectae proportioni aurum inter et argentum, vel mutatae aliquando istiusmodi proportioni, vel necdum bene perspecto utriusque pretio. Crebriora autem gravioraque auctaria in impositilio aenei nummi pretio petenda vel e nimis incommodo eorum volumine, vel e iamdiu perspecta tunc temporis, quae hodie obtinet, consideratione, quod scilicet viliores illi nummi nonnisi quam fractionis monetae loco habentur et minutiori commercio inserviunt; ex quo fit minimam esse oportere eorum emissionem habita ratione ad argentum (1). Coeterum quamvis priori alteroque bello Punico auctum fuerit impositilium monetae pretium ob reipublicae jacturas (2), attamen nil magis cordi imperantium romanorum stetisse quam monetae integritatem, colligimus e novella Valentiniani III. (3).

15 Auctoritas igitur et historia accedunt argumentis ex ipsa rei natura depromptis quibus docemur signum monetae auctoritate publica dictum, scilicet aestimationem impositiliam, aequare oportere verum materiae pretium nec non expensas ad monetam cudendam necessarias, vulgo = *spese di zecca* =. Id igitur maxime supremi imperantis cordi sit oportet, ne scilicet demonstratio aestimationis nummo dicta excedat substantiam vel ea inferior sit. Nam si primum fiat, publica fides improbe decipitur et abit in deterius commercium cum alienigenis, qui non aliter quam juxta verum atque, ut ajunt, intrinsecum pretium, impositilio minus, accipient nummos. Sin alterum contingat, quod scilicet aestimatio materiae una cum sumptubus officinae monetariae superior sit signo nummis impresso, jam brevi evanescet ejusmodi moneta, quippe vel aurifices eam aucupabunt ut fundant proprioque in artificio adhibeant, vel perveniet ad alienigenas, quin unquam redeat eam in regionem e qua fuit educta. Sciunt vero universi quam impotes sint leges ad praepediendam auri argentique exportationem. Necesse est

(1) Chevalier della moneta sez. XIV.
(2) Plinius hist. nat. XXXIII. 13.
(3) Cod. Thedos. De pretio solidi Nov. Valentin.

igitur ut moneta jugiter sequatur pretium auri et argenti, ut justa servetur inter utrumque metallum proportio, ut id tantum praestet publica auctoritas in nummis signo feriendis, quod scilicet testetur de vero materiae pretio, adjectis percussionis sumptubus. Atque illud etiam curandum ut quod attinet formam, divisionem, aestimationem nomenque ipsum moneta par sit illi qua utuntur nationes finitimae, nam hoc pacto accepto ab iisdem adamussim habetur tamquam propria moneta. Secus damnosum cum iis redibit commercium et ad minimum jactura fiet expensarum in nummis cudendis; quippe finitimi populi, quibuscum commercium obtinet, illam accipient qua puram putamve mercem juxta auri argentique pondus et aestimationem.

16 Cuiusmodi ne dicam oeconomiae publicae tantum, sed et iustitiae regulis nil magis probatum Romanis Pontificibus qui nedum proba moneta iugiter usi fuerunt (1) sed etiam perpetuo vigilarunt ne abusus monetam adulterandi, scilicet imponendi eidem pretium fictitium materiae aestimatione superius in societatem irreperet. Siquidem huiusmodi vitium quod effugere visi sunt antiquiores populorum moderatores, si exci-

(1) Romanorum Pontificum monetographiam ab octavi saeculi exordio petendam esse existimant nonnulli; extant siquidem aeneae monetae a S. Gregorio eius nominis secundo editae anno a n.ch. 726 et extant aliae plures ab eius successoribus fusae per diuturnam annorum seriem, donec *seditiosa Capitolii factio* (ceu ait Vignoli in opere: *antiquiores Rom. Pont. denarii*) per tria saecula, ab anno scilicet 975 ad annum 1305, *cudendae quoque monetae auctoritatem insolentissime sibi arrogavit.* Hinc pontificiae monetae rursus sese prodeunt ex quo Petri sedes Avinionem translata est: ibique, inter caeteros, Ioannes XXII anno 1322 aureos nummos, *florenos* scilicet, et *ducata de camera* cudi iussit; qui nummi diu fuerunt in usu etiam post Pontificum sedem Romae restitutam. Iulius II anno 1504 monetarii systematis reformationem imperavit; et curante cardinali S. R. E. camerario carolenis, ita fortasse ex Carolo Angioino Romae quondam et ipso senatore nuncupatis, *iulios* substituit quorum decem ducatum aureum aequare iussit. Paulo III imperante *iuliis* subrogati sunt *pauli* et monetae iuliorum dimidium referenti nomen *grossi* adscriptum: quae nomina ad nostra usque tempora servata. Ne cuncta commemorem, dicam Romanos Pontifices plura semper sollicite constituisse pro intrinseco monetarum pretio servando: ac non aliter quam aerumnosis temporibus aerosos nummos cudi permisisse qui brevi steterunt. Prae caeteros duo postremi ad haec tempora Pontifices maxime de re nummaria meriti renuntiandi. Siquidem Gregorius XVI et decimales numeros monetis attribuit, et monetae cuilibet aestimationem suam inscriptam voluit: Pius IX autem, quem Deus diutissime sospitet, metricum systema invexit, quod commercio iuvando potissimum profuit.

pias Dionysium seniorem syracusanum, quem ferunt vel stamnea moneta creditores reipublicae dimisisse, seu potius decepisse, vel nummis, qui drachma constabant, quadruplam aestimationem imposuisse, vel capitis poenam minitatum e civibus argentum universum extorsisse ut mutata forma cuilibet drachmae duplum pretium tribueret (1); nec non Ippiam Atheniensem, ante liberam rempublicam, qui prius argenteam monetam vilescere curavit ut eam sibi modico pretio haberet et inde, novo imposito signo gravique aestimatione adiecta, rursus deduceret in vulgus (2): vitium, inquam, huiusmodi apud reges regulosque medii aevi passim irrepsit qui adulterinos nummos cudere non dubitarunt.

17 Nec defuerunt eius aevi iurisconsulti qui, ut iisdem imperantibus blandirentur, suadere nisi sunt huiusmodi iure eosdem potiri, quasi monetae substantia constet publico signo potiusquam vera metalli aestimatione, et quasi moneta qua pretii demonstratio habeatur quin illi aequipolleat, ducto per sophismata argumento ex ipsa *Leg.* 1 *ff. de contrah. empt.* quam superius recitavi. At publica conscientia eos imperantes qua publicos falsarios traduxit; et Aligherius perpetuam dedecoris notam Philippo Galliae regi cognomento *il bello* irrogavit eo quia adulterinos nummos saepe saepius cudisset (3). Reapse Pontifex Bonifacius VIII. anno 1296 per litteras apostolicas « *Ausculta fili* » eum admonuerat ut ab huiusmodi vitio resipisceret, caussatus monetarum corruptionem, scilicet impostitium pretium praeter rei veritatem, sapere iniustitiam contra subditos et alienigenas (4). Ante ipsum vero Innocentius III. perconctanti *Regi Aragoniae* responderat « *ut reprobata moneta quae a legittimo pondere fuerat defraudata, alia sub nomine patris tui moneta cudatur quam ad legitimum pondus reducas* » et illicitum renunciaverat iuramentum quod rex ille se praesti-

(1) Arist. Oeconom. II. 2. 20., Boeckh. Economia politica degli Ateniesi lib. 4 Cap. 9.
(2) Arist. loco cit. II. 2. 4. Boeckh loco cit.
(3) Dante Paradiso Canto XIX. Vers. 118.
(4) Cantù Storia degl' Italiani Cap. 103.

tisse aiebat de servanda patris moneta *quae fuerat legitimo pondere defraudata* (1) ; atque , ut reliqua praeteream , Ioannes Papa XXII· anno 1321. contra huiusmodi vitium edidit percelebrem constitutionem dictam *de crimine falsi* (2).

18 Iustitiae autem et politicae oeconomiae regula quae antiquioribus rei publicae moderatoribus probe fuerat perspecta, quamque Romani Pontifices iugiter servarunt, hodierna die omnibus probata, adeo ut disquisitiones huiusmodi ad historiam potius pertineant , quam quae in actu et exercitatione consistant (3). Eo quo vivimus aevo singulis rei publicae moderatoribus persuasum , monetam ad instar mercis esse habendam quae aestimatione aequipolleat illi quacum permutatur ; persuasum insuper nummorum adulterationem nedum maximam redolere iniustitiam , sed etiam exitiosam redire ei regimini ex quo prodit ; quippe dum per eam gravissima infertur iactura aerarii creditoribus , eodem tempore publica res nummaria potius collabescit quam constituatur; aucta enim imposititia monetae aestimatione praeter verum materiae pretium singulae res carius veneunt ac fortuna publica in idem, immo in deterius , redit. Ab huiusmodi persuasione prodita e cultioris scientiae lumine et ab experientia rerum humanarum magistra factum est ut officium cudendi nummos apud plerosque Europae populos committatur privato eius operis redemptori qui vigilantiae publicae auctoritatis subiciatur ; eadem fere ratione qua, Pontificiis quibus regimur legibus, auri et argenti coelati venditio publico signo ad metalli sinceritatem confirmandam subiici solet, quod etiam fit in Gallico imperio aliisque ditionibus.

19 Quid tamen iuris , si contingat mutari nummorum aestimationem ex eo tempore quo orta est obligatio et antequam veniat dies solutionis ? Si quaestionem huiusmodi dirimendam committas de oeconomia publica disserentibus, iam facilis responsio. Cum moneta mercis loco habeatur, indubitanter tradunt diem contractus inspiciendum esse , ut tantundem solvatur

(1) Decretal. Gregor. IX. lib. 2. Tit. 24 de iureiurando Cap. 18.
(2) Extravag. Joannis XXII Tit. X Cap. unic.
(3) Troplong della vendita in nota ad § 163.

quanta ad eam diem fuerat vera propriaque monetae aestimatio, auri scilicet vel argenti pondus. Pari autem facilitate haud respondet iurisconsultus. Tantum siquidem intercedit discrimen inter iuris scripti censuram et politicae oeconomiae praecepta, quantum inter ius constitutum ac ius constituendum. Oeconomicae siquidem scientiae cultores docent quibusnam regulis res publica recte administretur legesque ferendas proponunt; at quoniam ius cuique e legibus iam scriptis tribuendum est, proinde inquirendum quidnam iura in proposita quaestione constituant. Porro romanas leges de eadem ferme siluisse profitetur *Cuiacius* atque huiusmodi silentium ex eo petit = *quod constantior tunc erat nummorum aestimatio* = (1). Putat autem ad rem pertinere *legem 2. Cod. de veteris numismat. potest.* pro argumento huiusce dissertationis propositam (2), quod tamen minus recte dictum existimant alii quorum sententia verior videtur, ut inferius demonstrabo.

20 Inde certamen inter oeconomiae publicae scriptores et iurisconsultos vel ipsos de sententia probanda eadem in quaestione. Qui enim existimant monetam nil aliud praestare quam demonstrationem seu signum aestimationis auctoritate publica metallis vel cuilibet alteri materiae impressum, ac constituunt ius praefiniendi potestatem seu pretium monetae esse quid maiestaticum, nullo ducto calculo substantiae ex qua eadem constat, ii nimirum carpunt verba *legis* 1. *ff. de contrah. empt.* superius recitatae, quibus tradit Paulus = *materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate* = atque ex eo arguunt iuxta romanos iurisconsultos pretium monetae imposititium dumtaxat censeri atque ex arbitrio supremi imperantis pendere. Cuiusmodi interpretationem ex eo etiam confirmant quod *Paulus* dixerit *perpetuam* esse monetae aestimationem; aientes huiusmodi notam tribui non posse aestimationi ipsius materiae quae varia iugiter est pro tempore, loco aliisque rerum adiunctis.

(1) Comm. in tit. Digest. de Verb. Oblig. ad leg. Quoties 59.

(2) Cuiac. loc. cit. et in Comm. ad tres postr. lib. Cod. Iustin. lib. X. tit. XI leg. 2.

21 Contra autem qui monetae potestatem ex materia tantum hauriendam esse contendunt, eamque in aestimatione aequipollere oportere rei permutandae pretio, toti sunt in prioribus *Pauli* verbis = *electa materia est cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret* =. Hinc professi nullum esse in rerum natura immutabilem aestimationis modum, neque huiusmodi nota praedita esse metalla quibus moneta constat, docent illud = *perpetua aestimatio* = accipiendum esse quasi perpetua comparatio aestimationis cum mercibus permutandis (1) : nempe veluti sapide tradit Cuiacius (2) = *perpetuam vocat comparatione coeterarum rerum quae permutantur veluti vini, olei, frumenti et coeterarum rerum. Perpetua igitur aestimatio est non simpliciter sed ad alias res relata* =. Nec secus, aiunt, res intelligi potest; siquidem prosequitur *Paulus* huiusmodi materiae officium fuisse ut = *difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret* =. Hinc eruitur nonnisi iugem comparationem et proportionem cum rebus permutandis demonstrasse iurisconsultum per verba = *perpetua aestimatio* =, alioquin *aequalitas quantitatis* (scilicet pretii) cum rebus, quarum certo certius mutabilis aestimatio, concipi nec posset.

22 Postquam vero istius scholae sectatores ita (et quidem recte) interpretati sunt *Pauli* fragmentum quantum pertinet ad propriam veramque monetae indolem, progrediuntur ad ea quae sequuntur legis verba = *eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet quam ex quantitate* = ; atque ut totum, etiam in re iuridica, materiae tribuant, nihil publico signo concedant ad vim, potestatem, officium monetae definiendum, contendunt verba *non tam ex substantia, quam ex quantitate* ita esse intelligenda quasi iurisconsultus distinxerit

(1) Montesquieu Spirito delle leggi lib. 22. Cap. 2.
Genovesi lezioni di economia c. 3. § 19.
Rossi Corso di economia Lez. 10.
Chevalier Tratt. della moneta Lez. 2. Cap 1.
Puynode della moneta cap. 1. n. 1.

(2) Comm. ad tit. 1. de contrahend. empt. lib. 18. Digest. ad leg. 1.

inter nummorum corpora seu individuam speciem et pecuniae quantitatem, seu materiae aestimationem. Scilicet quia nummorum *usus* et dominium dupliciter accipitur ratione habita tum ad eorum corpora, tum ad pretium = *sive in singulis nummis communionem pro indiviso quis intelligat sive in pecunia , non corpora cogitet sed quantitatem* (*Leg.* 94 § 1 *ff. de solut.*) =; ideo putant verbum *quantitate* haud esse accipiendum adversative (ut aiunt) ad *substantiam* sed ad corpus nummorum; quasi dixerit iurisconsultus non tam praestandam esse certam et individuam monetae speciem, sed potius eam ipsius quantitatem ex qua par in substantia redeat aestimatio. Cuiusmodi praestita interpretatione, illud arguunt nullum esse officium *formae publicae* nempe aestimationis a supremo imperante nummis dictae, econtra vim potestatemque monetae esse ab aestimatione materiae petendam; ideoque, mutato etiam impositilio nummorum pretio post initum contractum, eius diem esse inspiciendum pro solutione ut tantum in quantitate restituatur quantum materiae datum vel promissum est (1).

23 Ut libere dicam quod sentio, parum tuta, immo temeraria et contorta, videtur utraque opinio: prior in antecedenti, altera in consequenti. Utique enim reiicienda interpretatio illorum qui putant Paulum dixisse propriam esse monetae indolem ut e publico signo consistat, nulla ducta ratione materiae; nil enim magis vero aberrat quam quod Paulus posuerit abnorme illud iuris publici theorema traditum a nonnullis medii aevi iurisconsultis ut assentarentur supremis imperantibus. Interpretationis huiusce falsitas eruitur ex universo legis tenore quem superius expendi. At aeque paradoxon sapit quod Paulus ipse, cum res esset de practica iuris quaestione, nempe de iure cuique tribuendo ex eo quod lege fit, haud ex eo quod fieri debeat, nullam tribuerit publico signo seu formae vim et potestatem ad moderandas privatas inter cives transactiones.

(1) Rossi, Chevalier, Puynode loc. sup. cit. - *Valeriani* prefazione ai discorsi *di pubblica economia e di giuspublico* Bononiae 1809: potissimum vero *Pompeus Neri append. alle osservazioni sul prezzo legale della moneta* § 78, 83, 87, 90, 91.

Nonne *Aristoteles* vel ipse, quem adeo sapienter definivisse vidimus poprium verumque materiae officium, alibi tradidit = *ob id numisma graece dicitur quod non natura, sed lege valet et in nostra potestate est ipsum tum mutare tum inutile reddere* (1) =? Quapropter potius existimo iurisconsultum utique tradidisse iuris publici theorema cum germanam monetae indolem demonstravit per ea verba = *electa materia est cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret* = iuxta concinnam interpretationem a *Cuiacio* aliisque superius citatis traditam: atque ita censeo ipsum perquam longe abfuisse ut auctoraret arbitrium imperantium qui nummis aestimationem tribuerent haud aequipollentem *aequalitate quantitatis* (scilicet pretii) rebus permutandis. Vix autem ac huiusmodi materia fuerit = *forma publica percussa* =, nempe vix ac supremus rei publicae moderator demonstrationem aestimationis dixerit, eam esse servandam in privatis transactionibus constituit iurisconsultus per sequiora verba = *eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate* =, quibus legitimum monetae usum demonstrasse est in propatulo iuxta illud Isidori (2) = *In numismate tria requiruntur, metallum figura et pondus : si ex his aliquid defuerit numisma non erit* =.

24 Hinc annuo quod si mutetur nummorum aestimatio, sive id contingat ob auctum imminutumve materiae pretium, sive ei causam tribuerit arbitrium imperantis qui imposita demonstratione nummos plus minusve valere constituerit, annuo, repetam, contractus postea ineundos accomodari mutato nummorum pretio, ut scilicet omnes species carius aut vilius veneant iuxta auctam vel minutam monetae aestimationem. At vero quantum pertinet ad contractus antea initos, de quibus solutionis dies venerit post eiusmodi imminutionem, fieri non potest quin sequamur aestimationem legitimam, scilicet auctoritate publica nummis impositam solutionis tempore. Nonne enim per rempu-

(1) Ethic. V. 5.
(2) De origin. XVI. 17.

blicam propriis creditoribus satisfit iuxta pretium nummorum quod obtinet contractus potiusquam obligationis tempore? Nonne debitores pari ratione reipublicae satisfaciunt ? Qui igitur fieri potest ut inter privatos diversa obtineat regula, ut ipsi impari lance eos nummos quos certa aestimatione imposita a re publica retulerunt, diverso pretio propriis creditoribus numerent?

25 Id autem obtinet si, utut mutata nummorum aestimatione, eadem tamen perseveret unitas monetaria, idem nummarium systema ; hoc siquidem in casu, sive extrinseca, ut aiunt, et impositilia fuerit, sive intrinseca aestimationis immutatio, nempe cum supremus imperans libellae vel quinario denarii aestimationem imposuerit, vel eos denarios qui prius quadraginta in singulas libras feriebantur, postea sexaginta esse voluerit ideoque imminutum pondus fuerit eorum ac pretium; sive e converso, servata monetaria unitate, minus valere, ac prius aestimabantur, nummos extantes constituerit; vel sub eodem aestimationis signo pretiosiorem monetam cudi iusserit ; singulis hisce in casibus lucrum et damnum erit debitoris, qui tot praestando unitates monetarias iuxta praesentem legitimam aestimationem quot accepit vel promisit, propriae obligationi satisfaciet. Quod si abrogetur primaeva monetaria unitas et novum systema nummarium fuerit invectum, alia res erit; quippe, cum id factum fuerit, nonnisi quam per tabulas comparativas vulgo = *di ragguaglio* = intelligi potest quantum praesentis pecuniae aequipolleat antiquae ante immutationem acceptae vel promissae; cuiusmodi tabulae comparativae ipsius supremi imperantis placito edi solent, quemadmodum apud nos prodierunt in novissima systematis monetarii immutatione (1).

26 Redeat igitur, iure quo vivimus, immutationem in nummorum pretio damno et comodo debitoris cedere, scilicet inspiciendam esse aestimationem quae auctoritate publica invaluerit tempore solutionis, nec eam retrotrahi ad diem contractus. Iure, inquam, quo vivimus: praeter enim quod huiusmodi regula consequens est illius Pauli in *leg.* 1. *ff. de contrah. empt.*

(1) Editto 18 Giugno 1866 della Segreteria di Stato sul nuovo sistema monetario.

= *eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate* = cuius sententiam superius expendi: idem deinde constituitur ducto argumento ex aliis Iustinianeae collectionis fragmentis. Et sane haud inspiciendum esse tempus contractus sed solutionis ut ratio aestimationis monetae habeatur, colligitur e *leg.* 102 *ff. de solutionibus* in haec verba = *Creditor oblatam a debitore pecuniam alia die accepturus distulit: mox pecunia qua illa Respublica utebatur quasi aerosa iussu praesidis sublata est* (eo siquidem tempore nonnullae provinciae moneta utebantur propria quam interdum praesides improbabant) ; *item pupillaris pecunia , ut possit idoneis nominibus credi servata , interempta est. Quaesitum est cuius detrimentum esset? Respondi , secundum ea quae proponerentur, nec creditoris nec tutoris detrimentum esse* =; quod non aliam puto ob causam responsum quam ex ea regula, in aestimatione pecuniae inspiciendam esse diem solutionis non contractus. Reapse Pomponius in *leg.* 80 *ff. eod. tit.* tradit in mutuo retro solvendum esse = *tantundem pecuniae* =, haud quidem tantundem materiae ; pecunia autem intelligitur = *non tam ex substantia quam ex quantitate* = et quantitatem demonstrat *forma publica* nummis impressa iuxta *d. leg.* 1. *ff. de contrah. empt.*

27 Quod etiam nonnulli tradunt probari ex altero eiusdem Pomponii fragmento in *leg.* 1. § 1. *ff. de auro et arg. leg.* = *Cui certum pondus argenti dare haeres iussus sit, ei pecuniam numeratam dando iure liberatur, si in ea pecunia eadem aestimatio fuerit: quod ita verum est si non certum genus argenti legatum sit* =: nec non e Modestino in *leg.* 9. *ff. eod.* = *Cum certum auri vel argenti pondus legatum sit, si non species designata sit, non materia, sed pretium praesentis temporis praestari debet* =, quo loci per verba = *certum auri vel argenti pondus* = demonstrari legatum quantitatis seu pecuniarium iidem statuunt (1), quamvis dissentiant alii aeque praestantissimi (2). Hinc e distinctione iis in legibus

(1) Brunemann ad dd. leg. - Peret. in Cod. lib. 11 tit. 10 n. 12. - Glossa ad d. leg.

(2) Consulas eruditam et scitissimam monographiam cui titulus - *Della moneta e sue funzioni nei pagamenti* § 39 -, relata in - *Gravina e Deluca giornale di giurisprudenza teorica e pratica* - Romae 1860, quem dolet intermissum fuisse.

instituta inter *certum auri vel argenti pondus* ac *certum genus argenti* et e regula posita, quod priori in themate *pecuniam numeratam dando* iuxta *pretium praesentis temporis* debitor liberatur, rursus consequitur, iuxta legum romanarum sententiam, facta mutatione in pretio rei nummariae, solutionem praestandam esse servata aestimatione quae invaluit cum illius dies venerit, insuperhabita consideratione temporis initi contractus.

28 Neque his resistit responsum Pauli in *leg.* 99. *ff. de solutionibus* per ea verba = *creditorem* (1) *non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit* =. Quisque enim facili percipit ingenio, iurisconsultum de ea facti specie interrogatum fuisse qua certa nummorum species fuerat in obligationem deducta, veluti, iuxta opinionem superius traditam, proponitur in *leg.* 1. *ff. de aur. et arg. leg.* = *si non certum genus argenti legatum sit* = et in *leg.* 9. *eod.* = *si non species designata sit* =: ex. gr. si quis stipulatus fuerit monetam peregrinam quae ad instar mercis habetur et iuxta propriam veramque materiae aestimationem permutatur (2) puta libellas gallicas, aureos britannicos, nummos russicos, vel etiam promissa sit moneta indigena, demonstrata eius specie ex. gr. argenteorum qui quinque libellis, vel aureorum qui viginti constent. De his quidem dictum Pauli responsum ut scilicet nefas sit in *aliam formam* nummos repraesentare si creditor *ex ea re damnum aliquod passurus sit*. Regula autem in genere perstat cum pecunia in stipulationem deducta fuerit uti quantitas haud qua species.

29 Huiusmodi vero regulam sequuntur omnes melioris notae interpretes. Misso enim Heineccio *ad pand. lib.* 12 *tit.* 1. § 9 qui facta in pretio nummorum immutatione inspiciendum esse diem contractus falso arguit ex *leg.* 3. *ff. de reb. credit.* ob indolem monetae minus eidem perspectam, nec non ex ipsa *leg.* 2. *Cod. de veteris numism. potest.* de qua mox agendum quam-

(1) Manifestus est error scripturae *Florentinae* qua legitur debitorem. Seligenda praelectio *vulgata* eo vel quia confirmatur auctoritate Basilicorum.

(2) Plin. hist. nat. XXXIII. 3. - Sveton. in Aug. 75. Livius VII. 2. - Leg. 29. ff. de usufr.

que vel ad regulam non pertinere, vel prorsus contrarium statuere erit in comperto: ac misso etiam Vinnio in *instit. lib.* 3 *tit.* 15. § 8, quem redarguit Voetius *ad pand. lib.* 22. *tit.* 1. ob distinctionem ab ipso institutam inter mutationem in vero proprioque nummorum pretio ac eam quae constat extrinseca aestimatione, adeo ut = *si bonitas monetae intrinseca mutata sit tempus contractus; si extrinseca, idest valor imposititius, tempus solutionis in solutione facienda spectari debet* =; his, inquam missis, omnes melioris notae interpretes regulam constituunt, si species monetae in stipulationem deducta non fuerit sed quantitas seu unitas monetaria, et inde contigerit mutatio in aestimatione nummorum sive quoad verum et intrinsecum, sive quoad impositium et extrinsecum pretium, in calculum ducendam esse diem solutionis, et imminutionem vel auctarium aestimationis cedere lucro vel damno debitoris (1). Eamque sententiam sequuntur pragmatici (2), iuris canonici explanatores (3), nec non S. Romana Rota (4). Quin immo apud plerosque nuperos Europae codices abiit in disertam legis censuram (5).

(1) Voet. ad pand. lib. 22 tit. 1 n. 24.
Cuiac. Comm. ad lib. XI Cod. leg. 2 de veter. numism. potest.
Id. ad tit. ff. de verb. obligat. ad leg. 59.
Id. in lib. 27 Pauli ad Edictum ad leg. 2 § 1 de reb. cred.
Donell. Comm. in Tit. Dig. de reb. credit. ad leg. cum quid mutuum n. 9.
Bohemer. exercit. ad pand. lib. 6 tit. 3 § 33.

(2) Scaccia de comm. et cambio disc. 61 n.3. - Casaregis de commercio disc.61 n. 5. - Andreol. controv. 319 num. 13. - Gobbio de monetis quaest. 6 n. 1. - Sabell. summa § Solutio num. 26. nec non recentiores Pothier del prestito num. 37, et Troplong eod. tit. num. 240.

(3) Reinffestuel Ius Can. lib. 3 tit. 23 § 2 num. 35.
Ferraris Biblioth. canonica V. Moneta num. 21.

(4) Decis. 132 § 2 coram Rusconi - Perusina supplementi 14 Aprilis 1809 coram Tassoni § 6 - Romana seu Nepesina Laesionis 6 Aprilis 1817 § 3 coram Serlupi -, Romana Laesionis 2 Decembris 1822 coram Gamberini § 6.

(5) Codex Gallicus Napoleonis I. art. 1895 - *L' obbligazione risultante da un imprestito in denari è sempre della medesima somma numerica espressa nel contratto: accadendo aumento o diminuzione nelle monete prima che scada il termine del pagamento il debitore deve restituire la somma numerica prestata, e non è obligato a restituire questa somma che nella specie in corso al tempo del pagamento* - ac subdit distinguens monetam signo constantem ab eius materia in art. 1896, 1897 - *La regola contenuta nel precedente articolo non ha luogo se il prestito fu fatto in verghe metalliche; se furono prestate verghe metalliche o derrate, qualunque sia l'aumento o diminuzione del loro prezzo il debitore deve in ogni caso restituire la*

30 Probe igitur intelligimus iurisconsultos melioris notae utut in antecedenti cum oeconomiae publicae doctoribus conveniant quoad propriam rei monetariae naturam ab ipsis traditam, immo ipsos antecesserint eadem in definienda, attamen ob iuris necessitatem ab iisdem dissentire quoad consequens practicum in quaestione , an , mutato nummorum pretio post obligationem, eadem quantitas in stipulationem deducta seu potius eadem materiae aestimatio sit praestanda. Postremum affirmant oeconomistae quia nil legitimi pretii in moneta subesse censent et nonnisi quam mercis mediae permutationibus idoneae notam monetae tribuunt. Alterum vero probant iurisconsulti quia etsi consentiant eam esse oportere nummorum indolem ut pretium impositilium cum vera propriaque aestimatione materiae conveniat, attamen, si discrimen intercedat, legitimum pretium necessitate iuris in calculum ducendum esse constituunt.

31 Ut vero in eiusmodi consequens nonnulli iurisperiti concedant, auctoritatem petunt e *leg.* 2. *Cod. de veteris numismat. potest.* Nec recte quidem: eam enim ad regulam iuris superius traditam non pertinere arbitror. Lex ista lata est a Valentiniano seniore qui imperavit ex anno a nativ. Christi 364, usque ad annum 375, quidquid nonnulli fatue dixerint ad eam Constantino magno tribuendam. Caret autem die et consule, at editam vel anno 367 vel paullo posterius colligitur ex iis quae inferius considerabimus. Sint itaque prae oculis legis verba. Ait Imperator = *Pro imminutione quae in aestimatione solidi forte tractatur* , *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =. Verborum huiusmodi si cortici adhaereas, procul dubio existimas imminutionem contigisse quoad aestimationem impositiam solidi; id enim significare videntur voculae = *pro imminutione in aestimatione solidi* =. At secus se rem habere docet historia, nempe haud quidem imminutum sed auctum fuis-

stessa qualità e quantità e nulla più -. Idem statuunt *Codex Siculus* art. 1767 , 1768, 1769, *Codex Parmensis* art. 1617, 1618, *Codex Sabaudus* art. 1916, 1917, 1918, *Codex Italici regni* anni 1806 iisdem verbis ac Gallicus , *Codex illius novissimus* art. 1821, 1822, 1823.

se eo temporis impositium solidi pretium. In retexenda siquidem historia rei nummariae penes Romanos, vidimus Constantini Magni tempore octuaginta quatuor solidos pares fuisse uni auri librae. Id colligitur ex ipsius constitutione lata anno a. n. Ch. 325. in haec verba = *Si quis solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos quaternorum scrupulorum nostris vultibus figuratos appendat pro singulis unciis, quatuordecim vero pro duabus, iuxta hanc formam omnem summam debiti illaturus eadem ratione servanda etsi materiam quis inferat ut solidos dedisse videatur* (1). = Facilis autem calculus ex quo, supputatis septem in singulas uncias, redeunt 84. pro una libra. Atqui sexto idus Ianuarii Lupicino et Iovino coss. (anno 367.) Valentinianus senior (qui legem de qua agitur scripsit) constituerat = *quotiescumque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur aut auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta* = (2). Ergo in propatulo est auctum fuisse non deminutum impositium solidi pretium; etenim si nummorum pondere et materia haud immutatis, qui solidus primum octogesima pars erat librae auri, mox iussum accepto haberi qua septuagesimam secundam, nemo non videt aestimationem impositiam solidi excrevisse. Hinc Valentiniani senioris lex (quae vel eodem tempore vel paullo post latam de immutatione aestimationis solidorum constitutionem edita necessario est) ita accipienda, quasi dixerit = *pro imminutione* (librae) *quae in* (aucta) *aestimatione solidi forte tractatur* = ; siquidem imminuebatur librae aestimatio simul ac, quae antea par fuerat octuaginta quatuor solidis, mox erat = *in septuaginta duos solidos* accepto ferenda.

32 Iamvero si aucta fuerat impositia solidi aestimatio, augescere oportuisset rerum pretia, haud quidem decrescere. Scitum enim omnibus ac superius consideratum, aucto impositio nummorum pretio, cum idem perstet pondus eademque materia, reliquarum rerum pretia quoque augeri; hinc ea merx

(1) Cod. Theodos. de ponderatoribus lib. XII tit. 4 leg. 1.
(2) Leg.5 Cod. de susceptor. -Vide etiam Cod. Theodos. de suscept. lib. XIII leg. 3.

quae prius venierat una libra cum eadem constaret octuaginta quatuor solidis, modo (aucta solidi aestimatione, ut 72 in singulas libras numerentur) venundabitur pretio unius librae et duodecim solidorum. Qui igitur fieri dixeris quod Imperator, contra ea statuerit = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =? Obscura sane legis sententia quia, inspecto verborum cortice, paradoxon saperet; atque ex huiusmodi obscuritate factum esse censeo quod in eius interpretatione variaverint iurisperiti.

33 Omnium absurdiorem (ut mihi videtur) *Hotmani* (1) interpretationem primum referam. Is legem, de qua agitur, ita interpretatur quasi = *una cum aureo gradatim omnes reliquae monetae pro rata cuiusque portione decrescant* =; quasi nimirum *solidus* genus nummorum, inferiores autem monetae habeantur eiusdem generis species. Absurdiorem existimo; siquidem nunquam pecuniam et nummos sub nomine *specierum* iure civili usurpatas vidimus. Atqui imperator ait = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =: in propatulo igitur est res omnes singulas, scilicet merces quae nomine specierum accipiuntur (*leg.* 30 *de legat.* 1., *leg.* 19 *ff. de auro, arg. etc. leg.* 54 *de verb. obl.* alibique) Imperatorem demonstrasse. Reiiciendam inde existimo Hotmani interpretationem. Cuiacius ita de eadem lege loquitur. *Si venierit res XX aureis et ante numerationem pretii imminuta fuerit aureorum aestimatio, imminuetur et rei venditae pretium: nam XX aureos praestando emptor liberatur, etiamsi non tanti sint solutionis tempore, quanti contractus: eadem est contrariorum potestas ut ait Aristoteles: igitur si ante numerationem aucta fuerit aestimatio solidorum, augebitur et pretium rei venditae, quod summe notandum censeo: potest esse usui in mutuo et in locatione et in taxatione mancipiorum legibus definita* =; idemque rursus docet in *Comment. ad tit. de verb. obligat. ad leg. Quoties* 59 inquiens = *de hac quaestione nullam scio legem præter leg.* 2 *Cod. de veteris numismat. potest. quia constantior tunc erat num-*

(1) Comm. ad tres postremos libr. Cod. Iust. ad lib. XI, et leg. 2 de veteris numism. potest.

morum aestimatio =; eademque ratione legem interpretatur adiecta exceptione = *nisi in credendo* (nummi) *aestimati fuerint* =. Quamvis autem Cuiacius sapientissime tradiderit iuris regulam, quam superius propugnavi, quod scilicet, servata unitate monetaria seu nummario systemate et facta tantum immutatione in imposititio nummorum pretio , debitor liberetur eadem praestita, quam promiserat , quantitate pecuniae iuxta legitimam aestimationem quae obtinet tempore solutionis; attamen censeo regulam huiusmodi minus recte depromptam fuisse ex *leg.* 2. *Cod. de veteris numism. potest.*

34 Et primo quidem superius vidimus dictam legem haud contingere imminutionem solidi , quippe auctum potius fuerat imposititium illius pretium, atque illud *pro imminutione* spectare libram, cuius aestimatio revera minuebatur, cum paucioribus solidis, praestantibus ampliori extrinseco pretio, compleretur. Hinc minus recte fingit Cuiacius quod = *ante numerationem imminuta fuerat aureorum aestimatio* = quodque ideo venditor eamdem accipiens nummorum quantitatem quae sibi promissa fuerat , iacturam faceret in rei venditae pretio, quasi = *non tanti sint solutionis tempore quanti contractus* =. Potius enim, cum eadem perstiterint unitatis monetariae pondus et materia, venditor ex eadem quantitate vel tantundem accipiebat inspecto proprio seu intrinseco materiae pretio vel etiam pluris considerato auctario aestimationis imposititiae. Rursus interpretatio Cuiacii resistit legis ipsius tenori. Imperator enim statuit, aucta (non imminuta) aestimatione solidi = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportere* =. Ex his , ni fallor , consequitur Cuiacium utique veram iuris regulam tradidisse, at minus recte eam derivasse e *leg.* 2. *Cod. de vet. numism. potest.*

35 Cuiacio autem contradicit, quod pertinet ad argumentum legis, Bartolus (1) qui ita eam interpretatur - *Minuta aestimatione florenorum minuitur aestimatio rerum quae vendnntur ad florenos. Quaero, quomodo decrescente aestimatione auri, decrescat aestimatio rerum, cum decrescat et accrescat per se ut in leg. pretia re-*

(1) In leg. 2. Cod. de vet. numism. potest.

rum ff. ad leg. Falcid. Respondeo ut colligitur ex summario: non enim intelligas quod res dentur pro minori pretio; sed dabuntur tot aurei quot valent; dicitur autem decrescere eo quod aureus minus valet=. Hinc patet Bartolum, secus ac Cuiacius tradidit, legis dispositionem retulisse ad venditiones ineundas post factam in re nummaria mutationem; in eumdem vero errorem prolapsum esse, quod censuit imminutum fuisse solidorum pretium, cum auctum esse testetur historia, comparata constitutione Constantini magni cum sequiori a Valentiniano edita quas superius recitavi. Propius ad rem Brunnemannus (1) habet in comperto rem in specie legis fuisse de *extrinsecae aestimationis nummorum mutatione*; sed in eumdem, ac reliqui, errorem incidit quod putavit rem fuisse de imminuta aestimatione impositilia in nummis, veram autem tradit regulam cum ait = *deminuta aestimatione* (extrinseca) *deminuuntur rerum pretia* =, sed eam, aeque ac alii, perperam elicit e *lege* 2. *Cod. de veter. numism. potest.* quae agit de aucta aestimatione solidi impositilia, non de imminuta. Interpretationes Accursii, Dyni, Balduini, Fabri, Covarruviae et aliorum qui modo unam, modo alteram sequuntur sententiam, quique iugiter eodem falso laborant supposito, accipiendae a Jacobo Gothofredo (2).

36 Quapropter, reiecta eorum iurisperitorum interpretatione, ut veriorem eliciamus legis sententiam, inquirendum primo in illius argumentum, utrum scilicet positum fuerit in dicendo iure de contractubus ante immutationem in re nummaria initis quorum solutionis dies venisset post auctum imposititium nummorum pretium, an potius constitutum sit in contractubus post eam immutationem ineundis. Primum haud recte argueres. Et sane intelligi prorsus non posset cur lex in genere dicta de consequentiis seu effectubus immutationis in re monetaria circa contractus iam initos cohibeatur ad speciem emptionis venditionis quam demonstrat illud = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =. Nonne ius pariter statuen-

(1) Comment. in eod. ad d. leg.
(2) Comm. in Cod. Theodos. lib. VII. tit. 24 leg. 3.

dum fuisset de contractubus mutui, de locationibus, de praestationibus perpetuis vel ad vitam, aliisve? Statuendum nimirum fuisset cuius temporis aestimatio praestanda ratione habita ad solutionem. Quae cum satis sint ut admitti nequeat contractus iam initos argumentum legi praebuisse, accedit huiusmodi in hypothesi regulam constitutam rei veritate aberrare; nam posito quod eo in themate auctum fuerat potius quam deminutum impositititium solidi pretium, atque etiam posita regula superius, auctore Cuiacio, tradita quod = *si venierit res XX aureis, XX aureos* (post factam in re monetaria immutationem) *praestando emptor liberatur* =; hisce, inquam, positis, minime obtinet quod statuit Imperator = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =; cum potius vel tantundem referat venditor, inspecto intrinseco materiae pretio, vel etiam aliquid pluris, habita ratione ad aestimationem impositiitiam. Quod si constituas legis argumentum, prout eius verba demonstrare videntur, stetisse in contractubus post factam immutationem in re monetaria ineundis, alterum scopulum offendis, incidis nimirum in Scyllam studens vitare Charybdim. Praeter enim quod incredibile, posita libertate commercii, imperatorem scripsisse legem ut oeconomiae publicae regulam ab experientia depromptam traderet, animadvertendum praeterea nil deterius excogitari posse ea doctrina quod, aucta nummi aestimatione, specierum pretia decrescant, cum potius augeantur; quae siquidem res ante immutationem comparabantur una auri libra, cum constaret octuagintaquatuor solidis, eadem cohibita ad septuaginta duos, opus est comparari solutis duodecim solidis praeter libram ut redeat pretium octoginta quatuor solidorum par rerum earumdem aestimationi: ideoque contra regulam a lege positam augentur rerum pretia potius quam decrescant.

37 Hisce positis, ut probatam habeas legis sententiam, praesidium ab historia rursus quaeras necesse est. Et primo quidem animadvertere praestat leges trium posteriorum librorum Codicis minime vel perraro spectare ius privatum, scilicet mutua inter subditos officia, iura et obligationes: sed regulas publicae administrationis seu politici regiminis potissi-

mum contingere. Jamvero quo tempore Valentinianus senior imperabat, nulla erat libertas in commercio rerum praesertim publicae annonae. Publica aestimatio (hodie vulgo audit = *tariffa* =) quam praetergredi nefas, emporia praesertim Romae moderabatur. Scimus eam invaluisse usque ab imperio Diocletiani (anno a n. Ch. 284-304,) qui nedum rebus promercalibus, sed et operibus muneribusque certam taxationem dixit. Edictum ea de re latum invenit Stratonice anglus Guillelmus Sherard anno 1709, illudque constat quatuorcentum triginta tribus specierum articulis, quibus singulis certum tribuitur pretium (1). Cuiusmodi legem servatam diu fuisse testes sunt imp. Arcadius et Honorius qui prohibent ne petantur pretia = *ultra ea quae generali lege divi patris senioris Valentiniani constituta sunt* = (2). Hisce praemonitis, memoria recolas Valentinianum dixisse = *omnium quoque pretia specierum decrescere oportet* =; atque animadverte legem hanc 2 *Cod. de veteris numism. potest.* dictam esse *Juliano* qui in altera *leg.* 2 *Cod. Theodos. de can. frum.* ab eodem Valentiniano nuncupatur *annonae Praefectus*, unde error illius siglae PP. codicibus, quibus utimur, impressae. Ac, iisdem positis, in comperto erit sententia legis de qua agitur. Verbum nimirum *aestimatio*, ratione habita ad solidum, usurpatum est *adversative*, ut aiunt, vel saltem *differenter* ad voculam *pretia* quae spectat species. Primum demonstrat extrinsecam nummi potestatem a lege dictam; altera pretium rerum promercale. Hinc ne ex aucta impostitia aestimatione solidi res annonariae carius venirent, servata eadem publica taxatione quae ante immutationem rei nummariae dicta fuerat, iussit Imperator = *omnium quoque pretia specierum decrescere* =. Reapse nomine *specierum* annonarias demonstrari ex aliis iuris civilis locis constat (3). Quae cum ita sint, ultro concedendum in in-

(1) Cantù storia degl' italiani cap. 40 prope finem et nota 17.
Hauboldt Monumenta legalia ant. rom. in appendice.

(2) Leg. 22 et 23 Cod. Theod. De erogatione militaris annonae.

(3) Leg. 2 Cod. de commerciis.
Leg. 26 § 1 Cod. de usuris.
Tot. tit. Theodos. de annonis.

terpretationem dictae legis, quam sequitur Jacobus Gothofredus hoc summarium adiiciens = *pro rata seu proportione librae auri, numero aureorum imminutae, ob, seu propter aestimationem nominatim aureorum auctam, omnium pariter, per consequens, specierum annonariarum pretia in foro imminui aequum esse* (1). Cuiusmodi sententiam eo lubentius sequor quia summo quoque Cuiacio illuxisse videtur cum dictam legem interpretatus dixit loco superius citato (2) = *potest esse usui in taxatione rerum sive mancipiorum legibus definita* =.

38 An consequens huiusmodi aequum fuerit, iudicandum remitto publicae oeconomiae scriptoribus qui certo certius respondent iniquum fuisse quod, dum augebatur impositilia solidorum aestimatio atque ita suapte natura augerentur rerum pretia, Imperator iuberet eadem decrescere oportere! At non minus verum ita legem dictam fuisse; nedum autem dictam sed etiam executioni commissam, quippè dum scimus ex Iuliano in *Misopogono* (3) ante Valentiniani imperium et factam eam immutationem in re nummaria frumentum venundari consuevisse ad rationem *decem* modiorum in singulos solidos, accipimus eodem tempore e Suida (4) post factam imminutionem librae et auctam solidi aestimationem = *lege sanxisse Valentinianum ut modii duodecim frumenti uno solido venderentur, nullo refragante. Unde nautae cuidam, quod hoc non fecisset, dextera manus amputata est* =. Nec coeteroquin mirum eos Imperatores qui sub poena prohibebant ne quis = *auratas habeat aut in tunicis aut in lineis paragaudas* = vel = *nulli licere in frenis et equestribus sellis et in balteis margaritas et smaragdos et hyacinthos aptare* = vel alia huiusmodi (5), eos, inquam, Imperatores legem, de qua agimus, annonariam dixisse, quae utut regulis publicae oeconomiae resisteret, attamen specie utilitatis publicae nitebatur. Atque illud etiam accedit auctario aestimationis

(1) Comm. in lib. VII. Cod. Theodos. Tit. 24 de oblatione votorum ad leg. 3.
(2) Ad leg. 2 Cod. de veter. numism. potest.
(3) Lipsiae 1696 pag. 369.
(4) Συιδας in lexic. v. μαναιν.
(5) Lib. XI. Cod. tot. tit. VIII. et XI.

solidi causam praebere potuisse auctum promercale auri pretium, quo in themate nil contra iusti et aequi regulas deprehenderes in consequenti imminutione pretii lege constituti quoad species annonarias.

39 Coeterum, ut eo regrediar unde discessi, e quaestione scilicet iuridica ad oeconomicam, animadvertam post restituta antiquioris scientiae rudimenta factumque tristissimum periculum, procul ulla controversia probatum hodierna die esse, nil iniustius et in bonum publicum deterius eodemque tempore imperiorum prosperitati noxius posse excogitari, quam adulterationem nummorum e publica auctoritate proditam, cuius ope germana monetae natura eiusque officium prorsus immutantur. Publici siquidem iuris scientia restituta ad primaeva theoremata docuit monetae officium seu usum duplicem esse, ut non solum praestet modum definiendi rerum pretium sed et iisdem in aestimatione aequipolleat, ut scilicet habeatur quasi merx media quacum reliquae omnes iuxta illius pondus, numerum et verum pretium valeant permutari: hinc nullas alias esse partes supremi in republica imperantis quam quod signo nummis imposito ipse demonstret germanum cuiusque pretium: vigilare inde ipsum oportere ut impositiia aestimatio iugiter par sit vero illi auri et argenti pretio quod communiter obtinet. Quamvis enim eiusmodi metalla minus quam reliquae merces immutationi aestimationis sint obnoxia; attamen haud immutabile eorum pretium, cum huiusmodi virtus nulli prorsus rei per naturam concessa: impossibile siquidem est quod perpetuo pares sint metallorum petitio et oblatio, pares insuper copia et productionis expensae, quibus in extremis tota consistit pretii definitio (1). Quis dixerit aequalem fuisse ante et post detectam Americam auri aestimationem? Idem dicas de argento post apertas Potosii fodinas. Nec obiicias haud oportere augeri vel minui nummi aestimationem, aucta vel minuta auri et argenti quantitate ac pretio, quia in foro mercatorio res omnes sese librare

(1) Boccardo opere citato sub verbo *Moneta* § 3 n. 3.
Chevalier opere citato sez. 5.

animadvertimus,cum carius veneant merces si vilescat metallorum aestimatio, vilius si augeatur. Id enim pertinet ad transactiones post immutationem ineundas; quod vero pertinet ad contractus iam initos, ad redditus perpetuos, ad fisci creditores, nemo non intelligit, iuxta regulam iuris superius traditam, quanto afficiantur damno vel quam indebitum lucrum cum aliena iactura faciant, si eadem servetur in nummis impositilia aestimatio post factam in metallorum intrinseco pretio immutationem.

40 Insuper vigilare supremum imperantem oportet ut diligens inter nummum aureum et argenteum servetur proportio; nam si impositilia aestimatio unius utilior sit ratione habita ad alterum, iam debitores unica metalli specie, ex qua maior redit utilitas, creditoribus satisfacient, ea una erit in usu interioris commercii, altera autem vel ociosa manebit vel ad alienigenas migrabit vel etiam fusa e re nummaria subducetur. Quapropter ob huiusmodi proportionis difficultatem nonnulli rei oeconomicae doctores scripserunt utilius esse ut unicum servetur metalli genus qua monetae typus, alii aurum, alii argentum proponentes; et britannicum regimen ipsorum theoricae obsecundavit, quippe apud ipsum aurea tantum moneta, quae dicitur *lira sterlina*, legitima habetur, ea tantum invitis offerri potest, ac argenteos nummos (*scellini*) offerri fas est dumtaxat qua solutionis complementum, ut repraesentent aurei nummi fractiones. Nihilominus plerique e scriptoribus unius alteriusque typi, aurei scilicet et argentei necessitatem confirmant argumentis quae experientia tot saeculorum nituntur; siquidem ab invecta moneta utrumque typum servatum fuisse docet historia (1).

41 Eademque experientia rerum humanarum magistra docet quam gravia in rempublicam redierint mala ex illa pseudo-doctrina, quae invaluit medio aevo quaque traditum et monetam nil aliud esse quam signum, ut aiunt, conventionis, ab auctoritate publica dictum repraesentando rerum pretio, et ius dicendi aestimationem materiae esse quid maiestaticum, haud

(1) Consul. quoad hanc quaestionem Chevalier opere citato sect. 4 cap. 2 et 3.

positum in rei veritate sed in supremi imperantis arbitrio iuxta aerarii aliasve publicas necessitates. Ut reliqua praeteream exempla, Ruteniae imperium triste eius doctrinae periculum fecit anno 1655 cum *Czar* Alexius argenteis suffecit aeneos nummos pariformes quos aeque ac illos valere constituit. Brevi adeo viluerunt ut non minus *quindecim* loco *unius* argentei nummi accepto haberentur in foro mercatorio! Quia vero fiscus animis obfirmabatur eo in impositilio pretio, teterrima exarsit Moscuae seditio, quam ad compescendam oportuit aeneos illos nummos abrogare (1). Ex adulteratione autem in aestimatione metallorum et e doctrina quod nummus nonnisi habeatur quam veluti signum aestimationis, facilis digressus ad monetam fictitiam, scilicet papyraceam, cuiusmodi pestis elapso saeculo ferme omnes Europae populos afflixit atque etiam in praesens nonnullos contristat. Ita scilicet arguerunt: cum moneta consistat signo publica auctoritate eidem impresso, idem est eam e deteriori metallo feriri ac schedam, quae certum designet pretium, a supremo imperante scribi: immo melius, quippe aestimatio metallorum varia est ac in dies immutari potest; contra papyracea moneta certum et immutabile pretium demonstrat. Insuper cum populi prosperitas tota pendeat e quantitate pecuniae, nil magis idoneum ad eum maiori copia instruendum quam schedae nummariae, tum quia multiplicari possunt nullo vel minimo dispendio, tum quia nullus exportationis ad alienigenas timor; accedit facillimas sese praebere quae numerentur et transferantur. En papyraceae monetae dotes seu praerogativae quae in caussa sunt ut eadem aureos argenteosque nummos utilitate antecellat! Porro adeo impudens ratiocinii abusus ferme incredibilis videtur.

42 Auctor huiusmodi doctrinae primus fuit circulator insignis *Ioannes Law* natione Scotus, religione eterodoxus. Is immemor sese olim dixisse. = *Io non saprei comprendere qual paese volesse ricevere come un valore quello che non fosse stimato eguale*

(1) Storch corso d'economia politica nota 13 al lib. 5 cap. 13. Chevalier op. cit. sez. 1 cap. 3 in fine.

alla cosa per la quale lo si darebbe, e come questo valore immaginario potesse essere stato mantenuto (1) = per brevissimas mutationes, quod proprium cavillationis est, abiit in eas conclusiones de quibus superius meminimus. Doctrinam huiusmodi propinare studuit concilio senatus Scotiae anno 1695. (2) Reiectus a prudentissimis illis viris in Galliam se contulit ineunte saeculo XVIII, quo tempore aerarium gravissimo aere alieno premebatur, quin satisfacere posset obligationum schedis (*biglietti dello stato*) quarum solutionem pluries fuerat pollicitum. Pronas sibi habuit aures eorum qui summam rerum tenebant; ac populus gallicus nimia credulitate fidem circulatori et regiae nummulariae mensae ipsius consiliis institutae accommodavit. Brevi nummariae schedae ad fabulosam fere dicam quantitatem Galliam inundarunt; at brevi etiam adeo viluerunt, ut aerarii decoctio, ac privatarum fortunarum subversio secuta fuerit. Ioannes Law aufugit. Galliae superfuit iactura (3).

43 Eadem rei publicae detrimenta plus minus redierunt quoties et ubicumque fictitia huiusmodi moneta invaluit, sive edita fuerit sub specie schedae hypothecariae (*boni ipotecarii*) sive nomine futurae adsignationis bonorum *demanialium* (*assegnati*) sive alia qualibet forma. Vix enim ac obligatorius iisdem schedis appingitur usus, simul ac eaedem auro argentoque sufficiuntur, fieri non potest quin vilescant. Praeter enim quod cautiones vel hypothecariae vel adsignationes bonorum fallaces omnino sunt, ad pulverem oculis offundendam dumtaxat propositae, difficillima enim, ne dicam impossibilem, exequutio, accedit nullam obligationem (quae certam diem solutioni dictam non praeseferat) praesenti pecuniae, quae auro et argento constet, aequiparari et aequipollere posse. Aliud coeteroquin est aurum argentumque quocum res omnes permutari actu valent in penu esse, aliud vero maximeque diversum apocham in scrinio ser-

(1) Chevalier della moneta sez. 1. Cap. 1. prope med.

(2) Money and Trade considered, with a proposal for supplying the nation with money. Edimburgo 1705.

(3) Ferrara introduzione ai trattati sulla moneta e suoi surrogati. bibl. dell' economista II. serie Vol. VI.

vari quae agri frustulum aliquando adsignandum polliceatur. Talia proponenti respondebat Iacobus Lafitte = *Io posso mettere uno scudo nella mia borsa, non posso mica portare la vostra terra sotto l'ascella* (1) =.

44 Quapropter edita papyracea moneta, seu schedis nummariis obligatorio usu concesso, intercipitur rerum permutatio, commercio et productione necessario corruente, cum moneta vices amplius non gerat mercis mediae propria aestimatione aequipollentis. Quid amplius? Non modo vilescit illa fictitii nummi species, sed universae rei nummariae aestimatio ob auctum nimis eius cumulum simulac ad veterem nova edita moneta adiiciatur. De nummis enim redit quod de quibuscumque mercibus fieri animadvertimus. Aucta scilicet earum copia, augetur oblatio, minuitur petitio et in necessarium consequens vilescit aestimatio. Insuper sequitur nummorum auri et argenti exclusiva asportatio ad alienigenas quibuscum commercium fieri non potest per schedas nummarias, obligatorius siquidem earum usus nonnisi quam infra territorii fines obtinet. Ex hoc necessitas comparandi aureos argenteosque nummos: quia vero comparantur datis schedis nummariis, inde eorum aestimatio magis magisque decrescit, quippe nemo pari impositia aestimatione permutabit aurum et argentum cum frustulis papyri. Vilescente autem papyracea moneta, res carius veneunt; inde annonae caritas et pauperum oppressio. Utique huiusmodi perturbatio socialis ordinis fieri non videtur vix edita papyracea moneta; immo dixeris initio industriae favere eo adamussim quia res carius veneunt. Crebriores fiunt permutationes quia unusquisque nititur nummarias schedas cum mercibus permutare potius quam servet. Brevi autem vices mutantur. Vilescente in dies moneta, collabescit publica fides. De pretio emptoribus fides non habetur quia e dilatione urget timor gravioris in eo iacturae, cessat anticipatio quae tantopere productioni favet ne detrimentum e restitutione creditor patiatur; cessat circulatio, gyrus mercatorius, uno verbo commercium: sistit

(1) Chevalier oper. cit. Sect. 10. Cap. 1.

enim ille potentissimus commercii motor *il credito*; inde imminet decoctio et dissolutio = *la bancarotta* - (1).

45 En damna quae consequuntur e papyracea moneta et ex ea doctrina, duplici falso antecedenti elicita, quod nempe monetae substantia constet signo auctoritate publica cuilibet materiei impresso, quodque reipublicae intersit uberiori, quam fieri potest, pecuniae copia redundare, quasi in eo positae sint nationis divitiae eiusque prosperitas. At falsitate prioris demonstrata, nonnulla modo de posteriori. Nil siquidem deterius opinione, eo ditiorem esse populum quo maiori copia monetae praestet; cuiusmodi ex errore prodierunt nedum ea funesta institutio propyraceae monetae, sed etiam deridiculae leges quibus apud nonnullos prohibita argenteorum aureorumque nummorum exportatio et invectum illud mercatorium systema (*sistema mercantile*) seu commercii aequipondium (*bilancia del commercio*) quo consultum ut merces alicuius populi perveniant ad alienigenas quin emantur ab iisdem, atque ita sub fuco pleniorem nummorum copiam habendi, rebus sibi utilibus alibi comparandis populus privetur. (2) Huiusmodi error cuicumque erit in comperto cum alta teneat mente et monetam nil aliud praestare praeter mercem mediam, qua interposita, facilius reliquae permutentur, et aestimationem monetae gradatim vilescere quo magis infra territorii limites redundet.

46 Ex eo quod moneta praebeat dumtaxat modum, rationem, uno verbo, instrumentum ad perficiendas permutationes rerum quae sint ad agendam vitam necessariae vel utiles, consequitur nullum esse eius officium, nullam utilitatem ideoque nullum pretium si desideretur quod permutari valeat. Fabula docet miserrimum fuisse et fame necatum periisse Midam eo quod a numinibus impetraverat aurum fieri quidquid tetigisset; ac merito eadem fabula asininas aures eidem appingit. Utilitas siquidem monetae constat una permutationum facilitate. Ex altera autem animadversione quod monetae pretium, aeque ac

(1) Boccardo op. cit. sub verbo - Carta-moneta -.
(2) Chevalier op. cit. Sect. 10. Cap. 1. in princ.

in reliquis mercibus fieri solet, pro eius copiae ratione decrescat consequitur easdem esse populi divitias tum si pluribus cum si paucioribus praestet nummis, dummodo tantus sit eorum numerus quantus satis est ad officium mercis mediae, scilicet instrumenti permutationibus magis idonei, praestandum. Res siquidem carius veneunt si moneta redundet, vilius si rarefiat: atque inde posita eadem rerum permutandarum quantitate, iisdemque populi necessitatibus, si hoc anno duplo aucta fuerit monetae copia, duplo etiam venditabuntur merces quam anno superiori cum minor erat pecuniae quantitas; redundantia siquidem oblationem auget petitione minuta. Quapropter res eodem redit, divitiae scilicet populi eaedem perseverant utut aucta moneta quia imminutum est illius pretium. Toties, repetam, ea utilis est quoties rerum permutationi inservit, cum proprie merx ad vitam agendam necessaria vel utilis haud sit, sed potius instrumentum praestet ad res necessarias comparandas. Quid mihi proderit rhombus si lana desideretur quam torqueam? Quid proderit me duobus potiri instrumentis ad fusos torquendos, si linus, qui mihi est, vix uni sufficiat? Idem erit pretium unius ac duorum. Reiicienda igitur opinio adeo funesta quae tot tristes genuit effectus.

47 Is potius dives est populus qui magis studet rebus necessariis et utilibus ad vitam agendam procreandis sive id fiat re agraria, sive industria proprie nuncupata, sive commercio. Is uno verbo dives e quo redeunt plura et utiliora opera (oeconomicae rei scriptores nuncupant *servigi produttivi*) erga homines sive eiusdem gentis sive alienigenas quae inde crebrioribus utilioribusque permutationibus causam praebeant (1). Divitiae et prosperitas constant procreatione; id omnes intelligunt. Moneta itaque inter res procreatas recensetur, at si redundet, si nimirum excedat quantitatem permutationibus gerendis necessariam, inutilior est quam reliquae merces ea in parte quae superant hominum indigentiam. Hoc insuper docet experientia et veritas propositionis illustrior fit exemplis ab historia sive antiqua sive coaeva depromptis.

(1) Chevalier op. cit. Sect. 10. Cap. 1.

48 Nemo ignorat ab Imperatoris Caesaris Augusti tempore usque ad saeculum XV maxime rarefactum fuisse aureum argenteumque metallum. Quae eorumdem copia a Romanis congesta fuerat, quo tempore ad apogaeum potentiae pervenerant, nec tota sarcta servabatur: partim deperdita, partim in terrae visceribus condita, partim consumpta fuerat, pars autem altera ad Orientem migraverat ut permutaretur cum mercibus comparatis ab Indis et Sinensibus ; exaruerant autem vel sterilu erant auri argentique in Europa fodinae. Quid tamen? Divitiae et prosperitas publica eaedem perstiterunt, quandoque maxime floruere, praesertim splendido Antoninorum aevo (1), et moneta aurea argenteaque (adhuc enim non prodierat exitiosum papyraceae monetae inventum) proprium praestitit officium in permutatione rerum aeque ac post saeculum XV quo Americae fodinae et perfectiores metallurgicae industriae auro et argento peruviano, mexicano et cilensi Europam inundarunt, maxime enim viluit pretium et tantum crebrior moneta praestitit, quantum praestiterat rarior. Eo autem quo vivimus aevo quis dixerit Galliam Britannia ditiorem? Quis nescit Britanniam (utut populi numero minorem) plusquam Gallia procreare, eius vero commercium (scilicet permutationes) duplo esse superius? Nihilominus summa nummorum qua utuntur Angli par est gallicis libellis septingentum quinquaginta mille millibus (750,000,000) dum Galli in proprium commercium adhibere solent quingentum supra termille decies centenorum millium (3,500,000,000) nempe quadruplum (2). Quid eloquentius ut in comperto sit divitias populorum non constare pecuniae numeratae copia? Idem dicas de Hesperia cum foederatis Novi Orbis regionibus comparata. Prior longe uberiori nummorum copia praestat quam aliae; harum vero oeconomica prosperitas perquam longe superat divitias alterius.

49 Concidit igitur et alterum argumentum ab pseudo-doctrinae sectatoribus propositum ad auctorandam papyraceam monetam. Vix autem opus ut moneam papyros a supremo im-

(1) Cantù storia degl' italiani lib. IV. cap. 40.
(2) Coquelin. del credito e dei banchi Cap. 3 § 4.

perante editos, qui pro moneta habentur, haud esse intermiscendos tesseris a publica qualibet nummularia mensa editis quae audiunt vernaculo vocabulo = *Biglietti di Banca* =. Tantum enim una papyri species ab altera discrepat, quantum libera voluntas a coactione, tessera praesenti die cum designato auri argentique pondere permutanda a tessera quae metallicae monetae per fictionem sufficitur nunquam re ipsa in eam convertenda, communis aestimatio ab aestimationis lapsu, optimum nomen a pessimo, quod in honore est ab eo quod cecidit in abiectionem, fides demum mutua ac spontanea confidentia, quae nemini imperari potest, a publica diffidentia. Ex quo fit schedas a nummularia mensa editas, usque dum communiter accepto habeantur, nuncupari *titulos fiduciarios* (1), quod, nisi ad ludibrium, quis dixerit de papyracea moneta?

50 Primam huiusmodi tesserarum causam ut aiunt efficientem, originem, historiam, hodiernam conditionem, praecipuas notas, bonum publicum quod ex iis derivatur paucis persequi non erit ociosum: paucis, inquam, plena enim commentatio excederet limites dissertationis quae iam nimietatis vitio laborat. Coeterum ea de re scripserunt quamplures, plenius autem et recte quam coeteri *Carolus Coquelin* in tractatu *du credit et des banques* edito *Parisiis a.* 1849. Hinc epilogum nonnullorum quae ab aliis accepi pro dissertationis complemento mihi propono. Porro fundamentum tesserarum mensae nummulariae (*biglietti di banca*), quibus hodie utimur, positum est in mutua fide quam verbo = *credito* = rem magis demonstrante designant Itali, verbo nimirum a iurisconsultis accepto, quippe ait *Ulpianus* in *leg.* 1 *ff. de rebus credit.* = *Credendi generalis appellatio est: nam cuicumque rei assentiamur alienam fidem sequuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur* =. Demonstravimus siquidem divitias populi constare procreatione (*produzione*); ad procreationem vero satis haud est industria, at indiget quoque instrumentis ad procreationem idoneis eo scilicet medio, quod

(1) Say Corso completo di economia politica p. 3 Cap. 18.
Boccardo tratt. teorico prat. di economia politica lib. 3 Cap. 2.

nesciam concinnius designare quam vernaculo = *capitale* =. Qui industria praestat, non semper, immo perraro, huiusmodi capite potitur: contra illi, cui est caput procreationi idoneum, saepe deest industria. Sterile igitur unius caput et industria alterius erunt usque dum una coniugantur. Fit autem quod foecundum utrumque redeat mutua fide. Agricola caret bobus aratoriis quibus arvum vel proprium vel sibi locatum aret deinde serat, destituitur insuper pecunia qua eosdem sibi comparare valeat. Alteri sunt boves aratorii qui sibi inutiles, quippe haud agrariam, sed ferrariam industriam exercet, neque eos offerre potest ut adquirat ferrum quo propriam officinam instruat; permutationem enim cum iisdem recusat ferri effossor. Quatuor inde inertia et sterilia manent: agricolae industria, boves ad ferrarium pertinentes, procreatrix istius ars, ferrum effossoris. Iamvero faber ferrarius vendit agricolae boves habita fide de pretio post messem solvendo: hinc ab effossore obtinet ferrum cesso crediti nomine in agricolam. Hoc pacto quatuor illa foecunda statim redeunt utpote procreationi destinata quin ulla numerata pecunia intercesserit, atque huiusmodi prodigium factum est e mutua fide. Haec prima causa efficiens tesserae nummariae, hoc eius fundamentum quo nil magis consentaneum humanae societati et christianae vel ipsius doctrinae praeceptis, quippe positum est in bonorum morum ratione et mutuo auxilio quod invicem praestari oportet.

51 Hoc dixi primum tesserae nummariae fundamentum, nam geminae eae transactiones, quas superius demonstravi, colligari utique poterunt cum tertia, quarta et ulterius, sed infra angustos limites cito erunt cohibitae si mutua illa fides, qua consistunt, generalis non fiat: haud enim singulis aliorum fides quam sequantur probe perspecta. Quid igitur si persona vel physica vel iuridica cuius fides, aestimatio, nomen omnibus probatum singulorum obligationibus proprias sufficiat praesenti etiam die, si ita placuerit, cum numerata pecunia permutandas? Nemo non videt omnia quae in praesens capita et industriae opera sterilia sunt, foecunda redire, ex hoc procreationem fieri actuosam et in necessarium consequens capita et instrumenta

novae procreationis multiplicari. Hoc nimirum praestant mensae nummulariae per tesseras crediti circumeuntes.

52 Earum historiam perperam ab antiquitate peteres. Utique utilitas mutuae fidei et crediti tam Atheniensibus quam Romanis perspecta, et prioribus erant trapezitae, Romanis mensarii qui argentariam exercebant quibusque vigilabant *nummularii* a publica auctoritate praefecti (1). At perquam longe abest quod hodiernis nummulariis mensis valeant comparari. Rursus inventum literae collybi traiectitii quod nonnulli tribuunt Hebraeis Gallia expulsis a Philippo sive Augusto sive Longo, et Longobardiam confugentibus annis 1181 et 1316, alii autem Guelphis Hetruria proscriptis et sese in Galliam recipientibus ut proprias fortunas ope literarum crediti ad locum exilii transferrent; inventum, inquam, huiusmodi positum fuerat in mutua fide; at maximum inter eas institutiones et hodiernas discrimen. Nec cum his comparari valent vel mensa veneta (*Banco di Venezia*) anno 1171 ab ea republica instituta, vel mensa ianuensis (*Banco di S. Giorgio*) quae originem duxit anno 1401, vel demum mensae Amstelodamii, Hamburgii, Norimbergae, Roterdamii quae floruerunt saeculo XVII. Earum siquidem haud aliud erat institutum, quam, ut pecunias privatorum depositi nomine acciperent et tesseras initi depositi ederent, quas deponentes in alios transferre earumque versuram in mensae libris facere poterant, ideoque dicti = *Banchi di deposito e di girata* =. Pecuniam vero depositam iidem mensarii arcte custodiebant ac potius quam foenoris titulo quidquam darent, nonnihil minimum a depositariis accipiebant custodiae nomine. Utilitas in eo posita dumtaxat erat ut per depositum et inscriptionem apud mensam parceretur transvectioni nummorum, atque insuper ut crebrae tunc temporis in re monetaria publicae adulterationis averteretur iactura, suffecta nummis metallicis ea moneta mensaria (*moneta di banco*) quae immutabilis

(1) Cicero pro Flacco num. 19.
Sigon. antiqu. pop. rom. II. 11.
Livius VII. 21.

erat utpote proprio veroque pecuniae depositae pretio aequalis (1).

52 Etiam in ditione Pontificia floruerunt et etiam nunc florent huiusmodi mensae quibus privatorum pecuniae depositi nomine excipiuntur. Altera ex his constat mensa depositorum (*banco dei depositi*) instituta apud S. montem pietatis urbanum. Scitum siquidem omnibus pios huiusmodi locos destinatos ad pauperes e foeneratorum praesertim hebraeorum faucibus redimendos, originem duxisse apud regiones Pontifici subiectas. Auspice Fr. Barnaba ab Interamna anno 1462 primus institutus est Perusiae mons pietatis cuius proprium erat pecuniam mutuam gratuito dare, acceptis pignoribus: mox sequuti sunt montes pietatis Urbisveteris anno 1464, Viterbii anno 1471 probante Xisto IV, Mantuae anno 1484 et Cesenae anno 1488, auctorante Innocentio VIII, Bononiae anno 1506 imperante Iulio II. denique Romae anno 1539 proponente Ioanne Calvo coenobita ex ordine fratrum minorum, cuiusmodi institutum probarunt Pontifices Paulus III et Pius IV. Huic autem monti pietatis Gregorius XIII per literas in forma brevis 1 Octobris anni 1584 adiecit mensam depositorum atque imperavit ibidem deponi pecuniam iudiciariam et pupillarem quaeque ad viduas pertineret. Hinc Clemens VIII, Xistus V, aliique successores quaslibet alias pecunias ibidem deponi permiserunt (2). Eidem affinis est altera mensa depositorum quae propria est Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de urbe, quamque instituit Paulus V anno 1606 ut consuleret = *viduis, pupillis, locis piis et curialibus qui eorum pecunias ob decoctionem mercatorum et publicorum campsorum amiserant vel eas cum maxima iactura et non sine ingentibus expensis mediante discussione bonorum recuperare nituntur* = (3) et deponentibus obligata voluit indemnitatis nomine omnia eius nosocomii bona; deposita autem huiusmodi excipi voluit = *gratis et absque aliqua pecuniarum summa etiam minimae partis*

(1) Coquelin oper. cit. cap. 1. § 3.

(2) Caroli Aloisi Morichini (nunc amplissimi S. R. E. Cardinalis) « *degl'istituti di publica carità in Roma* » Vol. I. cap. XVI edit. Romae 1842.

(3) Literae in forma brevis diei 13 Decembris 1606.

exactione = et pecuniam ipsam depositam praerogari *in emptionem locorum montium non vacabilium* (hodie *consolidato*) cuius fructus cederent in ipsius benemeriti instituti utilitatem, ceu demonstrat citata constitutio Pauli V quam confirmarunt aliis legibus adiectis pro tutela publica successores *Innocentius* XI per literas in forma brevis 10 Mai 1663 et Benedictus XIV per alias literas Apostolicas diei 10 Augusti 1750.

53 Haec autem instituta, utut in publicam utilitatem redierint, haud comparanda (ut innui) cum mensis nummulariis de quibus in praesens agimus. Hae originem duxere e Britannia anno 1696; perfectiores autem institutae sunt in Scotia annis 1695, 1727, 1746. Societates nimirum modo anonimae, modo collectitiae institutae sunt quae, certo immisso capite, vel crediti titulos a privatis sibi cessos accepto habebant, datis invicem propriis tesseris praesenti die per numeratam pecuniam permutandis (*pagabili a vista*) favore cuiuscumque possessoris procul ulla cessionis seu versurae necessitate (*pagabili al portatore*): vel per easdem nummarias tesseras iis, quibus fides esset, pecuniam dabant mutuam certa die restituendam, accepto utroque casu modico emolumento quod vernaculo commercii sermone audit = *scontare* =. Insuper pecuniam depositam pro lubitu deponentium restituendam accipiebant et, quin ullum referrent hostimentum pro custodia, veluti consueverant venetae, ianuenses aliaeque mensae superius recensitae, contra modicum interusurium ipsis deponentibus praestabant; siquidem potius quam pecuniam ipsam ociosam apud arcam servarent, eam tutis investimentis collocabant ut novis procreationibus incitamentum praeberetur. Maxima autem fides comuniter accomodata huiusmodi nummulariis mensis in caussa fuit ut tesserae crediti (*pagabili a vista*) potiusquam apud earumdem arcam cum metallica pecunia permutarentur, contra in foro mercatorio circumirent easque homines darent et sponte reciperent vicissim quasi aureos argenteosque nummos, immo iisdem praeferrent utpote numeratione et transvectione commodiores. Cuiusmodi mensae, cum maxime floruerint, brevi institutae sunt apud foederatos Novi Orbis status, insuper in

Gallia, Germania, Italia ac per totam qua late patet Europam (1). Aliarum regionum exemplum sequutum est Pontificium regimen, quippe, auspice Gregorio XVI sa. me., anno 1834 instituit mensam nummulariam dictam = *Banca Romana* =: Atque haec, auctorante Sacratissimo Principe, quem Deus sospitem servet, ampliorem in rationem excrevit sub nomine (*Banca dello Stato Pontificio*) lege edictali 29 Aprilis anni 1850 (2).

54 Hae igitur mensae nummulariae hodierna die sunt in honore, quae minime confundendae cum crediti vel *agrarii* vel *fundiarii* vel *mobiliaris* vel *maritimi* institutionibus quarum proprium est agricolis, praediorum dominis, industriae studiosis, naviculariis subvenire. De his sileo; nil enim inter ea instituta et thesim, de qua agimus, rem scilicet monetariam commune, utpote quia nec eorum officium nec iisdem potestas est tesseras nummarias edere (*al portatore*). Loquor de mensis nummulariis proprie dictis (*banche commerciali*), quarum institutum est *primo* crediti nomina mercatoria probatae fidei sibi cessa accepto ferendi datis sub modico foenore, loco praesentis pecuniae, tesseris nummariis in quemcumque transferendis procul cessione seu versura (*al portatore*) statim cum nummis metallicis apud ipsius mensae arcam permutandis (*a vista*) si ita possessori libuerit: *secundo* mutuandi privatis sub pignore vel cautione et eodem modico foenore pecuniam per easdem nummarias tesseras: *tertio* instituendi sive cum iisdem, sive cum aliis publicis mensis rationes dati et accepti progredientes, vulgo *conti correnti*, usque ad certam summam supputato rursus utrinque modico foenore: *quarto* depositam a privatis pecuniam accipiendi vel gratuito vel etiam praestito minimo interusurio favore deponentium (3). En praecipua officia quibus operam dant hodiernae mensae nummulariae, inter quae nullimode recensetur illud cudendi papyraceam monetam.

55 Tesserae enim nummariae, quas edere solent, nil aliud praestant quam titulos crediti per auream argenteamque mone-

(1) Coquelin oper. cit. cap. 1 § 4 et 5.
(2) Raccolta delle leggi dello stato Pontificio anno 1850 part. 1 pag. 264.
(3) Coquelin d. tract. cap. 1 § 2.

tam commutandos, statim atque ad arcarium eiusdem mensae a possessore afferantur(1). Quod si pleraeque ex iisdem tesseris sero et perraro redeant ad arcam ut cum pecunia numerata permutentur, ex quo fit ut mensa nummularia valeat plenius commercio et industriae subvenire, id accidit ex mutua fide, ex ea nimirum fide quam sibi conciliat illud credendi institutum; fit nimirum ut lubenter inter privatos accipiantur loco numeratae pecuniae, immo utilitatis gratia aureis argenteisque nummis aliquando praeferantur. Nulla autem ea in re coactio; negocium inter volentes et consentientes obtinet, inviti iure optimo eas tesseras recusant: quod nemo dixerit proprium monetae papyraceae a supremo imperante editae. Recte igitur superius innui tantum eamdem a tesseris mensae nummulariae differre, quantum coactio, diffidentiae imperans, a libera voluntate prodita e mutua fide quae nemini potest imperari. Haec propria tesserarum mensae nummulariae nota , ut scilicet invitis offerri non possint, omnibus perspecta; atque ita quoties eaedem loco numeratae pecuniae oblatae fuerunt eas recusanti, et res in iudicium deducta est, toties iusdicentes recusationis ius probatum habuere (2). Recentissime factum contrariae doctrinae periculum apud sacrum Romanae Rotae auditorium: perperam vero; prae sua quippe sapientia tralaticiam regulam sarctam tectam servavit et schedas nummarias qua numeratam pecuniam accipere recusanti ius tribuit suum (3). = *Nemo enim est qui nesciat publicam dumtaxat et constantem aestimationem, supremae auctoritatis iussu confirmatam praestare ut materia quaedam vel aliae forte res recipi hinc inde debeant ad removendas, aequalitate quantitatis, permutationum difficultates, ceu sunt verba* Pauli in leg. 1 ff. de contrah. empt. *Ex quo sponte sua consequitur, schedas* = della banca dello stato Pontificio = *utpote materia simul*

(1) Coquelin. d. tract. cap. 2 § 1.
Boccardo d. tract. lib. 3 c. 2 § 1.
Chevalier della moneta sez. I cap. 5.

(2) Iournal du palais Repertoire general v. Monnaie n. 69. v. Billet de banque n. 2. v. Banque de France n. 87.

(3) Decis. Romana Pecuniaria in re commerciali 3 Septembris 1866 coram. R. P. D. De Avila, et Romana solutionis in re commerciali 24 Ianuarii 1868 cor. R. P. D. Negroni.

signo, ac principali sanctione destitutas, *nec pecuniam esse, nec posse invitis creditoribus pecuniae loco obtrudi, nec proinde liberationem debitoris parere* =: ita citata Decisio coram *R. P. D. Negroni*, nunc amplissimo ab interioribus negociis Status administro.

56 Potius igitur a propria natura discedunt ac papyraceae monetae notam sibi quærunt tesserae nummulariae vix ac, nutante fiducia, imperatur eas invitis dari et ab invitis accipi, uno verbo simul ac *coactivus*, ut aiunt, usus iisdem imprimitur. Quod et iniquum et exitiosum esse docet iustitia et historia. Iniquum: nam ut ait Hieronymus Boccardo = *l'ingiustizia e la illegalità che si commette autorizzando una Banca a dare il corso forzoso ai suoi biglietti equivale precisamente ad una autorizzazione data alla Banca di non restituire i depositi che le vennero in buona fede consegnati* (1) =: et Baufield = *forzare il corso dei biglietti sviliti è furto: emetterli segretamente e sotto pretesti mendicati è scroccheria* = (2). Periculi autem plenum; experientia enim iugiter docuit tesseras mensae nummulariae viluisse atque ipsius mensae decoctionem impendisse quoties obligatorius usus iisdem fuit per legem adscriptus.

57 Hinc numquam satis laudibus extolletur animi fortitudo ac sapientia consilii quibus sacratissimus Princeps, quo sospite laetamur, huiusmodi malum adiuravit in nuperrimis rei publicae commotionibus, cum omnia imperare viderentur vel papyraceam monetam edi, vel obligatorium usum tribui tesseris mensae nummulariae. Ipse enim admirabili animi robore praeditus utrique obstitit ac potius, praestita per statum innoxia eidem cautione, nutantem mensae nummulariae status Pontificii fidem restituit. Cuiusmodi factum laudibus prosequitur citata *Rotalis Decisio coram R. P. D. Negroni* § 6. = *Princeps sacratissimus inter tot tantasque et aerario aerumnosissimas politicas vicissitudines et perturbationes*, *quibus Ditio Pontificia novissimis temporibus vexata est*, *nunquam adduci*

(1) Dizionario della economia politica del commercio *verbo* Banche § 3.
(2) Biblioteca degli economisti serie I vol. VI pag. 841.

valuit ad cudendam monetam papyraceam cum lege = del corso forzoso = *ex qua nimirum illud vere gravissimum contingeret ut cives tesseras, tamquam pecuniam numeratam , recipere cogerentur ; multoque minus passus est ut quid simile obtineret pro tesseris privato iure emissis a mensa nummularia cui nomen* Banca dello stato Pontificio=. Aeque autem laudanda prudentia et obedientia civium, qui potius quam Principem eiusque aerarium in angustiam rei nummariae coniicerent, praesentientes damna quae eruptura forent e tesserarum mensae detrectatione = *tacito consensu* (ut eadem prosequitur Decisio) *et mutua quadam compensatione schedas ipsas invicem receperunt, quarum recusatio difficultates pecuniarias admodum augeret* =. Itaque in unum conspirantibus et supremo principe et populo , perstitit fides mutua ac iactura publica e coactione derivans fuit adiurata.

58 Omnibus siquidem probata ea veritas quam superius posuimus, nempe reipublicae maximopere interesse mensae nummulariae apud eam institutae prosperitatem, et liberam circulationem tesserarum quae per antonomasiam nuncupantur *fiduciariae*. Cessante enim mutua fide, quae, tertio dicam, imperari non potest, dissolvitur mensa nummularia vel ipsa. Ea vero dissoluta, haud quidem contingit quempiam sui in ipsam crediti iacturam facere possessoresque tesserarum fraudari; siquidem princeps caput quo eadem potitur, cum probe fuerit ordinata, par sit oportet debito quod erumpit e tesseris. At, cum huiusmodi caput suapte natura constet numerata pecunia, minori tantum ex parte (1); in reliquo autem conficiatur crediti titulis in privatos eiusdem mensae mutuatarios; ex hoc consequitur quod cessante mutua publicaque fide, omnes tituli redeant uno eodemque tempore ad arcam, sistat parata eorumdem solutio usque dum eadem mensa nummularia valeat pecuniam a debitoribus , quibus mutuam dedit , condicere. Hinc extremae dati et accepti dispunctioni fit locus vulgo = *liquidazione* = atque illud crediti, scilicet fidei publicae institutum expirat.

(1) Tertia apud plerasque et inter eas apud Pontificiam - Statuto della banca dello stato Pontificio del 6 Aprile 1851 approvato e publicato con notificazione del Pro-ministro delle finanze il 25 giugno d. art. 18.

59 Eo autem dissoluto , statim cessat publica prosperitas, quippe sistunt omnes foecundi illius effectus. Illud enim est proprium cuiuslibet fiduciarii instituti, veluti superius innui, ut instrumenta ad procreationem idonea (*i capitali*) multiplicet ; iis scilicet, quae ociosa et sterilia manent, foecunditatem importet, atque inde ex his nova usque prodeant procreationis instrumenta. Quemadmodum autem certa argenti copia, quae nil procreandi potis est donec in avari scrinio custodiatur, vix ab eo educta pervenerit ex. gr. ad sarcinatorem seu vestiarium qui ex ea comparare valeat textile a propola, is autem a solidario venditore, venditor iste a lanario, lanarius denique a pecuario materiam primam nempe vellus, quemadmodum, repeto, certa haec argenti copia fere dicam quintupla redit ac quinque capita totidemque industrias antea ociosas ad procreationem incitat ; ita , cum eadem defuerit pecunia , vel avari scrinio extrahi non potuerit, eius vices supplet, immo plenius et latius officium implet mutua fides et credendi institutum. Atque hoc insuper e *credito* beneficium redit ut in permutationibus parcatur ampliori usui pecuniae cuius servata pars in novas procreationes valeat impendi. Redeat exemplum Britanniae cum Gallia comparatae. Quantitas pecuniae a posteriori in commercio adhiberi solita quadrupla est, habita ratione illius qua utitur prior, utut istius commercium longe superet commercium alterius. Ac vidimus hoc adamussim fieri quia mutua fides = *il credito* = et mensae ad eum fovendum institutae longe magis in honore sunt apud britannos, quam apud gallos. Quid si isti priorum exemplum imitarentur? Iam maxima pecuniae pars , quae hodie inservit ordinariis permutationibus, impendi posset ad novas procreationes fovendas. Adde parsimoniam expensarum in transvectione pecuniae. Adde parsimoniam temporis in expediendis negociis.

60 Rursus publica *crediti* instituta minuunt foenoris modum ob usum capitis ac indigentes pecunia e pravi foeneratoris faucibus redimunt. Favent parsimoniae; institutis nimirum mensis quae audiunt = *casse di risparmio* = efficiunt ne ea pusilla, quae post expletas vitae necessitates superest, pecunia perpe-

ram absumatur, sed potius cumuletur ad nova procreationis capita et instrumenta paranda. Per deposita frugifera, de quibus superius meminimus, prospiciunt ne eadem capita ociosa maneant quoad deposita fuerint sed potius utili procreationi interim incumbant. Ex iisdem crediti institutis felicior redit operariorum conditio; auctis enim capitibus procreationi destinandis augetur operum occasio; hinc opera eadem latius distribuuntur, salaria augescunt. Si creditum et mutua fides vires haud exseruissent suas, viae ferreae, telegraphum transatlanticum, suetii isthmi aperitio aliaque gigantea opera, quibus praesens hominum societas praestat, inter aegri somnia adhuc essent recensenda.

61 Nec moror damna vel discrimina quae nonnulli exaggerant. Aiunt e circulatione tesserarum fieri quod numerata pecunia e commercii facie evanescere quodammodo videatur. Perperam vero id tribuitur mensis nummulariis, quarum illud est officium proprias reliquis mercatoriis obligationibus, haud quidem nummis, sufficere quaeque pareunt usui pecuniae ob mutuas compensationes, nec pecuniam ipsam deglutiunt. Nil autem damni cum pecunia ideo abducitur, quia superfluus ipsius usus: porro suapte natura consequitur rursus apparituros fore nummos vix ac commercium iisdem indigeat; quod enim usu commercii subducatur quin redeat, fit obligatorio usu quem forte contingat tesseris appingi, haud quidem e libera et voluntaria earumdem circulatione. Subdunt, quo loci plurimum in honore sunt mutua fides et credendi instituta, saepius contingere commercii perturbationes quae audiunt *crisi commerciali* seu *monetarie.* Argumentum vero ex huiusmodi experientia depromptum retorquetur ad utilitatem institutorum crediti evincendam, vix harum perturbationum causam quaeras. Ea siquidem posita est in mutuae fidei lapsu, quod eloquentissimum praestat argumentum plurimum ad reipublicae utilitatem conferre mutuam fidem. Quis autem recusabit quod bonum actu est ob formidinem damni ex eius amissione derivantis? Idem porro esset ac periculum pacis ex eo arguere quod, si bellum inde fiat, tota respublica commovebitur; idem ac sani et florentis corpo-

ris beneficia inficias ire consideratione morbi qui forte poterit ingruere. Coeterum huiusmodi commotiones quae fiunt in commercio transitoriae sunt, fugaces ac momentaneae ; nam fides cito restituitur cum populus fuerit ad eius beneficia in pretio habenda edoctus : contra si perpetuo abfuerint instituta credendi, infelix et squallida populi conditio par erit morbo chronico et desperato. Denique etiamsi fingas, post commotionem commercii, mutuam fidem nunquam fore redituram (quod absurdum), nil detrimenti patitur societas quae in deteriori hypothesi ad eum redibit statum quo fuerat ex institutis crediti redempta : supersunt autem opera, divitiae et capita ab iisdem procreata. Stultum igitur foret beneficia mutuae fidei et instituta credendi proscribere ob commercialis perturbationis discrimen (1).

62 Reliqua autem damna vel damni pericula quae lamentantur antagonistae, nempe vel excessus in emissione tesserarum, vel mensariorum praestigia (*giuochi di borsa*), vel fraudes in collybo (*aggiotaggio*) haud quidem prodeunt ex usu institutorum credendi : sed vero ex abusu. Nec quisquam adfirmaverit ob alicuius rei vel negocii abusu prohibendum esse rectum et legitimum usum. Potius enim, cum huiusmodi nummulariae mensae aliaque instituta credendi fidei et prosperitatis publicae intersint, consultum iustumque erit eorumdem rectae administrationi vigilare eorumque tuitioni prospicere supremum imperantem. Quae sane vigilantia et tuitio eo tantum spectare debet, ne scilicet a statutariis quae primum dictae fuerunt legibus desciscant, ac ne legitima eorumdem actio et progressus intercipiatur, haud quidem ut rei publicae moderator nimio favore privilegiisque eadem prosequatur, quae tantum eorumdem prosperitati ac soliditati nocent quantum ipsorum aversatio. Id nimirum curare debet supremus imperans ut ius commune pro mensis nummulariis sive contra eas vires exserat suas ex edicto Praetoris = *Pacta servabo* =. Nonnulla hinc dicenda superforent de recto huiusmodi institutorum regimine. Hoc autem non pertinet ad thesim de re monetaria propositam ; nam de

(1) Coquelin. oper. cit. Cap. 10 § 2.

hodiernis mensis nummulariis tantum dicere oportebat quantum satis esset ad tesseras ab iisdem edi solitas distinguendas a papyracea moneta atque ita ad errorem, qui in ore vulgi est, depellendum. Qua in thesi plus aequo me loquutum fuisse arbitror, ideoque bonae voluntatis gratia, prolixae et inconcinnae orationis veniam peto a perpaucis, si qui erunt, lectoribus.

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Arch. Salini O. P.
S. P. A. M. Socius.

POTERIT IMPRIMI
Si videbitur iis, quibus ita imperandi jus est.
J. B. De Dominicis Tosti
S. C. A. Advocatus et Promotor deputatus.